TOMI I. PARS III.

NICOLAI DE CLEMANGIIS

Theologi & Oratoris Galli
Qui ſub Concilio Conſtantienſi claruit,
memorabile opuſculum

DE

RUINA ECCLESIÆ CIRCA TEMPORA CONCILII CONSTANTIENSIS.

FELICISSIMIS AUSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS &c.

Ex vetuſtiſſimis MSCtis BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ
HELMSTADIENSIS
recenſitum
ab

HERMANNO von der Hardt / Oſnabrugenſi,
Acad. Helmſtad. Profeſſore.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1696.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Autor Paralipomenon
Abbatis Urſpergenſis.

* * *

Anno Domini
M CCCC XVII.
Temporibus
SIGISMUNDI IMPERATORIS
&
Concilii Conſtantienſis
claruit
NICOLAUS CLEMANGIS
Archidiaconus Bajocenſis
Doctor Theologiæ Pariſienſis
Qui
De Corrupto Eccleſiæ ſtatu
ſcripſit
Quibus rationibus
Res Eccleſiaſtica creverit
&
Decreverit pietas.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Lectori S. D.

HERMANNUS von der Hardt.

CLEMANGIUM *de Concilio Constantiensi admodum sollicitum* vidimus. Sed necdum deserere virtus tanti viri admittit. Literis publicis ad Carolum VI. Galliæ Regem & Benedictum XIII. Pontificem Avinionensem, *miseram Ecclesiæ faciem* graphice depingere, pietas suasit. Ad *remedia* capessenda summa illa regni & Ecclesiæ capita excitare, zelus imperavit. *Emendationem morum in Ecclesiastico statu* impense urgere, devotio mandavit. Dein Concilio Constantiensi ingruente, illuc convolantibus *saluberrima consilia* suggerere, religio jussit. Ipsum porrò cum solennissime esset Constantiæ coactum Concilium, inque pleno existeret fermento, Assessores illustrissimos hortari, *decretaque publica Conciliaria moderari* ac temperare monitis, publicæ salutis amor ursit. Quin imò salubres scrupulos Concilio injicere, animi præsentia docuit. Quæ cuncta ex superiori opusculo abunde constant.

His Clemangianis adjicere nunc porro animus erat *Epistolam*, (quid si Clemangii?) *nomine Christi ad Constantiense Concilium scriptam*, acria ad dignam Ecclesiæ reformationem calcaria, validaque à negligentia in arduo hoc saluberrimoque negotio retinacula. Cujus *Epistolæ MSCtum exemplar* in *Ecclesiæ Brunsvicensis Andreanæ Bibliotheca* superiori adhuc seculo comparuisse restatur *Flacius*, oculatus absque dubio testis, in *Catalogo testium Veritatis libr.* 19. *& Johann. Wolfius, Lectionum memorabilium Tom. I. f.* 764. *Extat*, inquiunt, *in BIBLIOTHECA S. ANDREÆ BRUNSVIGÆ epistola, Christi nomi-*

ne ad Concilium Constantiense secundo Concilii anno scripta. Cujus summa & verba hæc ferme sunt: Quod Concilium promittens reformationem Ecclesiæ, nec tamen reformans Papam & curiam, simile sit fabulæ Æsopicæ, cum parturiunt montes & nascitur ridiculus mus. Quare reformationem à Papa aliisque summi ordinis spiritualibus inchoandam esse.

Gravissimæ hujus ac memorabilis epistolæ, sive Clemangianæ, sive Alliacenæ, sive alterius, visendæ desiderium, *Serenissimum Brunsvicensium Ducem* RUDOLPHUM AUGUSTUM, his monumentis asservandis occupatissimum, movit, ut in sua isthac urbe BRUNSVIGA, in laudatæ *Ecclesiæ Andreanæ Bibliotheca*, vel ruderibus ejus, perquiri juberet, numquid superesset. Quod ex clementissimo mandato *Serenissimi Ducis* omni diligentia præstitum. Plus simplici vice omnes MSCtorum atque impressorum antiquorum Voluminum reliquias sigillatim excussi, ut vix folium manibus excidere posset, præsente atque adjuvante *Venerando Ecclesiæ illius Pastore*, Dn. WEISSIO, Viro doctissimo, amico integerrimo. *Reliquias*, inquam, *Bibliothecæ Andreanæ*. Magnam enim & præclaram olim fuisse Bibliothecam, permagno MSCtorum numero conspicuam, ex Ecclesiæ illius monumentis documentisve, nec non Bibliothecæ dote annua insigni, luculenter constat. *Membranaceorum MSCtorum* vix ullæ reliquiæ. *Chartaceorum* aliquis adhuc numerus visitur.

Ad *Concilii Constantiensis historiam* pertinentia *Volumina plurima* ibi asservata olim fuisse, non solum *Insignia* eruditorum virorum, qui illo tempore vixerunt, libris adhuc nonnullis inscripta testantur, sed & ex *Actis Concilii Constantiensis atque Basileensis* residuæ chartæ nonnullæ, magno cum gaudio exceptæ, nunciant. O misera rei literariæ fata in publicis olim motionibus. Tristem fortunam literarum in bellis, nedum incendiis. Ut taceam injuriam, ab illiteratorum manibus illatam, quas membranæ pretium & pulchritudo magis quam inscriptarum rerum religio traxit!

Sic ergo in illo curato superstitis literariæ farraginis excussæ scrutamine *non comparuit* laudata à Flacio *epistola* publica. Vidisse Flacium & legisse, *argumentum ejus* ab ipso formatum subindicat. Sed abiit jam, evasit, erupit, excessit. Tametsi verò *Flacius*, convasandis MSCtis optimis esset clarissimus: Ex cujus Bibliotheca plurima MSCta in Academiæ nostræ Helmstadiensis Bibliothecam, Serenissimi Ducis Julii gloriosissimæ memoriæ gratiâ, commigrarunt, nec pauca in Augusta Wolffenbüttelensi supersunt: Ex quorum Flacianorum MSCtorum numero volumen est MSCrum Epistolarum Clemangianarum, supra abunde commendatum, manu Flacii possessoris inscriptâ: Hanc tamen *epistolam ex Andreana Brunsvicensi Bibliotheca* à Flacio non esse impetratam, sed ab illo quidem relictam, ex eo patet, quod *in ea existere* publice asseverarit. Cujuscunque tandem culpâ, *disparuit* sane.

Qua-

Quapropter *Flaciano* illo *Epistolæ argumento* contenti, ne omnino nihil ejus superesse conqueramur: Ad *Clemangium* nostrum jam revertimur, qui defectum istum suis monumentis pari gravitate venerandis compenset. Corripuerat & hic Concilium Constantiense, pro ardente pectoris sui spiritu, quod in tractando præcipuo Emendationis Ecclesiasticæ negotio ab ardore videretur remittere, vel aliis non necessariis rebus abstrahi se sineret.

Quod proinde *morbus Ecclesiæ*, qui eam exhauserat, enervaverat, prostraverat, & tantum non extinxerat, plenius atque penitius esset cognoscendus, ut totius Christiani orbis *remedium* & auxilium parari ac ferri posset, *in universali omnium congregatione Constantiensi*: Opus erat maxime radicati illius ac diuturni sed & *immedicabilis* fere *morbi sacri publica descriptione.*

Dedit & hanc præsenti opusculo *CLEMANGIUS* noster, *Academiæ Parisiensis Professor ac Rector*, Anno circiter 1394. Clemente VII. Avinioni defuncto, & Benedicto XIII. S. Petro de Luna ad Papalem dignitatem evecto. Adeoque aliquot annis ante Concilium Constantiense. Quo scripto absque dubio Principum & Magnatum oculi aperti atque illustrati, ut Ecclesiæ morbum clarius viderent, & de remediis Pisanis atque Constantiensibus magis essent solliciti. Etsi sint, qui in principio Constantiensis Concilii A. 1414. scriptum librum velint. Quod exacte definire parum refert.

In exordio superioris seculi A. 1519. typographiæ artem primùm est expertum hoc opusculum Clemangianum, hoc in fronte gerens symbolum: *Nicolaus Clemangis Archidiaconus Bajocensis, Doctor S. Theologiæ Parisiensis, de corrupto Ecclesiæ statu. A. Moventius lectori: Docebit hic te liber, quibus rationibus res Ecclesiastica creverit & decreverit pietas. Flebis lector, nisi saxeus es, imò potius, (quando nihil flendo proficitur) Deum Opt. Max. precaberis, ut suam à nobis iram avertat, cæcas nimirum mentes & pectora cæca.* Edidit libellum, qui præfationem præmisit, *Eubulus Cordatus*, sive sub illo nomine *Euricius Cordus*, vir celebris, lateret, sive *Ulricus Huttenus*, literatissimus Eques Francus, sive alius.

Calci operis adjecit primus editor ex vetusto quodam codice descriptos rithmos, quibus Romanæ curiæ *Simonia* præcipue taxata, quos genio Clemangii respondere, operique de corrupto Ecclesiæ statu concinere judicavit. De quibus *parte octava hujus Tomi agemus.*

Prima isthæc *Clemangiani libelli editio* tam *corrupta*, ut nihil supra. Nullus sæpe sensus, & si quis sit, contortus fere, nec menti autoris satis respondens. Et nihilominus tum *Lydius* in suo Clemangianorum opere, tum *Johannes à Fuchte*, hujus Academiæ olim Professor Theologus, ex prima illa vitiosissima editione repetierunt.

Ceterùm, uti viris illis habenda gratia, quod dare voluerint quod invenissent, ita posterorum est defectus resarcire, *melioribus MSCtis* oblatis. Quod igitur ea nobis obtigerit fortuna, ut non solùm *Epistolarum Clemangianarum Codicem MSCtum genuinum* adipiscerémur, sed & *hujus* quoque *Clemangiani opusculi præstantissimos codices*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MSCtos nanciſceremur, è re literaria totiusque poſteritatis fore fuit viſum, *genuinum* & hic ſiſtere *Clemangium*, MSCti antiqui non unius ope.

Quod ergo ad noſtros jam attinet *Codices MSCtos*, in quibus *verus Clemangius* latuit, in lucem à nobis pro Viri meritis adductus, habentur *illi* gemini in *Academiæ noſtræ Juliæ Helmſtadienſis Bibliotheca publica.*

Hi *duo codices MSCti*, diverſa manu exarati, exacte fere inter ſe conveniunt, ſingulari ſtudio conſcripti. Singulare verò eſt, quod in utroque hæc ſit inſcriptio: *Opuſculum de Ruina ſuper Eccleſiam futura, tempore ſchismatis editum, ſub quadam meditatione per Magiſtrum Johannem Gerſon ſuper ſtatu Eccleſiarum.* Clauditurq; utrumque MSCtum: *Hic finis opuſculi de Ruina Eccleſiæ.*

Unde primùm *novus* operis panditur *titulus, de ruina Eccleſiæ.* Ut adeo impreſſus & hodie cognitus ſit titulus: *De corrupto Eccleſiæ ſtatu*, ſcriptus vero & hactenus incognitus, *de Ruina Eccleſiæ. Trithemius* ſub priori charactere Opus quoddam Clemangii notaverat, unde reliqui hauſiſſe videntur, ſive Trithemius rei ſcriptæ titulum ipſe dederit ſive invenerit. Olim namque multis libris nulli certi dati tituli, ſed ab amanuenſibus aut viris doctis demum attributi. Tametſi igitur re non differant hæ inſcriptiones, retinere tamen maluimus eam, quam in MSCtis deprehendimus, de *Ruina Eccleſiæ*, ob venerationem MSCtis debitam.

Deinde *autor operis* videtur definiri *Gerſon*, infinitis opuſculis aliàs Clariſſimus. Nihilominus, quod ambiguitate non careat hæc inſcriptio, quæ potius occaſionem hujus ſcripti ſubindicet, nempe quod Gerſon ſimile fere jam ante edidiſſet, cujus veſtigia in hoc libello lecta: Non Gerſoni dare, ſed *Clemangio* reddere libuit, tametſi in titulo non eſſet commemoratus, quippe cui non ſolùm omnis ætas tribuiſſet, ſed & ex ſtylo dignoſci poſſet & genio.

Quod vero ad *opus ipſum* tandem ſpectat, longe alia *capitum* eſt *diſtinctio in MSCtis* quàm in impreſſis. Exhibuimus igitur, quam in MSCtis reperimus.

Capitum quoque alia nonnunquam *argumenta* in MSCtis. Et hæc ex MSCtis religioſe depromſimus.

Oratio tandem in editis lacera ſæpe, & deformi hiatu manca atque mutila, dein vitiata centies. *In MSCtis* ſuæ integritati reſtituta.

Ex MSCtis igitur *verum* atque *politum Clemangianum calamum* mutuavimus. Ut hoc pacto orbis eruditi deſideriis ſatisfaceremus, *genuino* Clemangio luce dignisſimo ab oblivione liberato, ab interitu ſervato, doctæque poſteritati commendato.

IN-

INDEX CAPITUM
operis Clemangiani.

PRæfatio.

CAPUT I.

Causa primitivæ fundationis & dotationis Ecclesiarum & monasteriorum.

Cap. II.

De insolentia, orta ex affluentia rerum temporalium in Ecclesia.

Cap. III.

De tribus vitiis, ex quibus cætera mala orta sunt in Ecclesia.

Cap. IV.

De exorbitantiis, per Summos Pontifices in Ecclesia introductis.

Cap. V.

De abolitione electionum & reservatione beneficiorum.

Cap. VI.

De Camera Apostolica.

Cap. VII.

De Expectativis, & qualitate currentium ad curiam Romanam.

Cap. VIII.

De vacantiis, & aliis vectigalibus Ecclesiam opprimentibus.

Cap. IX.

De Institutione Collectorum, & malis per eos illatis.

Cap. X.

De litigiis Curiæ Romanæ.

Cap. XI.

De regulis & Constitutionibus Cancellariæ.

Cap. XII.

De prosperitate curiæ Romanæ.

Cap. XIII.

De statu & introductione Cardinalium.

Cap. XIV.

De multitudine beneficiorum Cardinalium & eorum incompatibilitate.

Cap. XV.

De contractibus Simoniacis Cardinalium.

Cap. XVI.

De statu beneficiorum Cardinalium.

Cap. XVII.

De omissione multiplicium vitiorum Cardinalium.

Cap. XIIX.

De promotionibus, ad instantiam Principum per Papam solitis fieri.

Cap. XIX.

Quod congregatio pecuniæ sit præcipua cura prædictorum Cardinalium.

Cap. XX.

De vitiis Prælatorum.

Cap. XXI.

De promotoribus jurisdictionis Episcoporum, & eorum abusibus.

Cap. XXII.

De exactionibus pro Concubinis tolerandis.

Cap. XXIII.

De collatione Simoniaca sacrorum ordinum.

Cap.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cap. XXIV.
De indignis & indigne promotis ad ſacerdotium.
Cap. XXV.
De perpetua abſentia Prælatorum ab Eccleſiis ſuis.
Cap. XXVI.
De Prælatis in Curiis Principum reſidentibus.
Cap. XXVII.
Quod tales Prælati mercenarii dicendi ſint.
Cap. XXIIX.
Quod utilior ſit talium Prælatorum abſentia à ſuis Eccleſiis quam præſentia.
Cap. XXIX.
De Capitulis & Canonicis.
Cap. XXX.
De pace & fraternitate Canonicorum.
Cap. XXXI.
De cauſa exemptionum pro correctione vitanda.
Cap. XXXII.
De vita & moribus Monachorum ſuæ profeſſioni repugnantibus.
Cap. XXXIII.
De Mendicantibus & de eorum vana jactatione & gloria.
Cap. XXXIV.
Quæſtio de Perfectione Mendicantium.
Cap. XXXV.
Quod humilitas ſit fundamentum perfectionis.
Cap. XXXVI.
De impudica vita & converſatione monialium.
Cap. XXXVII.
Comparatio morum modernorum cum moribus priſcorum patrum.
Cap. XXXIIX.
Converſio autoris ad Deum.
Cap. XXXIX.
Excuſatio autoris ſuper generali deſolatione Eccleſiæ, occaſione Eccleſiaſticorum.
Cap. XL.
Quare de bonis viris autor ſileat.
Cap. XLI.
Quod ſtatus Eccleſiaſticus merito patiatur.
Cap. XLII.
Quod Eccleſiaſticus ſtatus propter ſuperbiam tendat ad ruinam.
Cap. XLIII.
Quod Eccleſia prius humilianda ſit quàm erigenda.
Cap. XLIV.
Quod Schisma fuerit initium deſolationis Eccleſiæ.
Cap. XLV.
Si Eccleſia florere & fructificare habeat, quod neceſſaria ſit in omni ſtatu Eccleſiæ morum reformatio.
Devota oratio autoris pro ſalutari fructu reformationis conſequendæ.

NICO-

NICOLAI DE CLEMANGIIS

Theologi & Oratoris Galli,
Qui sub Concilio Constantiensi claruit,
De
Ruina Ecclesiæ circa tempora Concilii Constantiensis.
Ex MSCtis Academiæ Helmstad.

PRÆFATIO.

CUm hesterna die *sacrorum eloquiorum codicem* arripuissem, &, quæ primum obvia fuit, *primam Petri epistolam* legere cœpissem, incidi in ea verba, quibus Apostolus ait: *Tempus est, ut incipiat judicium à domo DEI.* Quæ non, sicut partes ceteras epistolæ, in transcursu pervolavi, sed, lectionis impetu aliquantulum remorato, concussam, *horrore* quodam quasi repente *suborto*, mentem meam in his hærere coëgi, atque in se verba illa altius tenaciusque defigere.

Calamitas Ecclesiæ ante Conciliũ Constantiense. Causa malorũ istiusætatis.

Occurrerunt illico animo satis horenti & perturbato pressuræ ac *calamitates*, quas nunc Ecclesia perfert, quascunq; majores multò, nisi falsum mens conjicit, passura est.

Ecclesiastici sint casti,

Occurrerunt & pariter *causæ tantorum malorum* justissimæ. Nam cum *Ecclesiæ* ipsius *ministros*, quorum dos & possessio Christus esse debet, ab omni contagione terrenæ cupiditatis excussos esse oporteat: Cum *pudicos* esse conveniat, & ab omni inquinamento carnisque petulantia alienos, qui cœlestia sacramenta preciumque durissimum redemptionis humanæ tractant, conficiunt, aliisque conferunt: Cum *pii* esse debeant, qui piissimum judicem vicaria sorte repræsentant: Cum *justi*, qui justissimum; *humiles*, qui humillimum; *concordes* & pacifici, qui pacis & concordiæ inter Deum & homines esse debent conciliatores ac mediatores: Postremò cum eos deceat *omni luce virtutum* clarescere, qui in specula positi, forma & *exemplar vivendi* ceteris esse debent: Sed pro his atque aliis, quibus adornari deberent virtutibus, *omnium colluvione vitiorum* contaminati sunt: Quid tandem mirum, si illis multa adversa eveniunt, aut si aversus ab eis Deus, suorum immanitate facinorum, dicat per verba Psalmi: *Odivi Ecclesiam malignantium.*

pii, justi, humiles, concordes, exemplum virtutum. Sunt depravati. Quare plectũtur.

Atque ut pauca de *vitiis ipsorum*, quibus ab irato Deo jure affligi meruerunt, enumerando perstringam: Primum *à cupiditate*, quæ omniu fomes ac *radix est malorum*, initium sumamus.

Vitia clerici. Cupiditas Ecclesiasticorum.

CAPUT I.

Causa primitivæ fundationis & dotationis Ecclesiarum & monasteriorum.

Prisci Ecclesiæ ministri virtuosi,

NEmo est, ut opinor, qui non satis audierit, & mente teneat, quantum *prisci Ecclesiæ ministri*, viri utique probata *virtute* clarissimi, omniumque temporum laude meritò celebrandi, terrenam opulentiam contempserint: Quam nulla cura vel labore temporalia commoda quæsierint: solis *victu & vestitu*, eisque pertenuibus abunde *contenti*. *Habentes*, inquit Apostolus, *victum & vestitum, his contenti sumus.*

paucis contenti,

Quam *liberaliter* rem familiarem, si aliunde uberior obvenerat, ad inediam

liberalis,

diam pauperum sublevandam, erogare curaverint.

devoti, Metuebant profectò *devotissimi* homines, solam *rerum cœlestium meditationem* animo gerentes, ne, si ad hæc transitoria amplectenda suum paulò latius affectum adjecissent, tanto animus eorum, à spirituali contemplatione, cui se totos devoverant, avocatus, minus in Deum ferretur, quanto esset ad inferiora curanda atque cogitanda magis inflexus; Docti insuper cœlesti magisterio, *Deo pariter & Mammonæ serviri non posse.*

Sed divina agente gratia, quanto magis aspernabantur temporalem substantiam aut gloriam, tanto illis *abundantius omni ex parte affluebat*, instar umbræ, quæ sequentem fugit, at verò ubi fugeris, semper indefessa comes insequitur. Cernentes etenim seculares homines, tam principes quam alii locupletes, ejusmodi virorum Dei sanctam & sinceram conversationem, ab omni terrena fece, igne divini amoris excoctam, certabant undique illis copiosissima bona congerere, ut ab omni cura soluti, fervori possent devotionis, absque interruptione, liberius incumbere: Beatos se æstimantes, quod, si aliquid de suis opibus in usus istiusmodi contulissent, recipere dignarentur, pro suorumque expiatione peccatorum apud divinam clementiam intercessores fieri.

locupletati.

Unde cœnobia, capitula, fundata. Sic multis præclaris dotibus *opibusque* magnificis *Ecclesia aucta* & insignita est. Sic fundata *cœnobia, conventus* instituti, exstructa *capitula* atque *collegia.* Sic *sedes pontificales* & *parochiæ* exortæ, sic *templa*, sic basilicæ pulcherrimæ, sumptibus ingentissimis & mirabili opere *ex principum plebiumque impendio fabricata.* Sic denique omnes gradus universæque professiones *hominum Ecclesiasticorum* in amplissimas copias excreverunt. Quas primitivi illi patres, qui suis eas acquisierant virtu-

Usus antitibus, tibus, *non in prophanis usibus*, quemadmodum nunc plerique, consumpserunt, sed aut in *eleemosynas & hospitalitatem*, ceteraque *charitatis* ac pietatis *opera* impendebant: Aut, si quid istis operibus *mensæque frugali* superet, in *cellas* ædificandas, si fortassis alii fratres cœlitus inspirati religionis gratia advenissent, inque alia paranda, quibus parandis opus erat, convertebant. Nullus his *thesaurus* erat, nisi *bonorum operum*, sed amplissimus ille & refertissimus. Nulla argentea vasa vel aurea, sed *suavius ex fictilibus bibebatur.* Nullus magnorum *equorum* phalerarumque *apparatus*, nulla *histrionum turba* præambula, nullus *calamistratorum aut comatorum juvenum* comitatus, virgatis ac monstriferis habitibus, patulis & terratenus defluentibus manicis, quasi ritu barbarico indutorum.

quus opus Ecclesiasticarum.

Mensa frugalis.

Vasa fictilia.

Pompæ nulla

Felix erat *his incolis* mundus, plenæ urbes & agri populis, quos nulla aut rara lues absumebat, plena armentis stabula, pecora fœtibus, pomis arbores, sata frugibus: Quia & cœli temperies terram suo influxu ad apta quæque germina fœcundabat: Et terra nulli obnoxia maledicto, sed uberi benedictione horum interventu donata, quasi ultro ferax erat omnium bonorum. Vivebant diu homines, prosperaque valetudine fruebantur. Nulla erat domi seditio, nullus foris metus, pacata omnia, tuta & tranquilla.

Frugalitatis commoda.

Vigebant in hominibus illius seculi, *charitas, innocentia, fides, pietas, justitia, sincera amicitia*; Rara fraus aut calumnia proximo fiebant. Quoniam in sancta *vita* & salubri *doctrina pastorum*, totius boni *exempla*, suo gregi æmulanda, relucebant. Tanta siquidem apud Deum erat talium virorum *ex vitæ integritate* potentia, ut suæ *intercessionis* obtentu, bona mundus amplissima adipisceretur, & adversa pauca sentiret.

Prisca ætas.

Pastorum boni.

CA-

Caput II.

De insolentia, orta ex affluentia rerum temporalium in Ecclesia.

Ex opibus luxus & insolētia.

UBi vero, ut fieri assolet, paulatim ex divitiis rerumque secularium affluentia, *luxus* & *insolentia* in Ecclesiam subiere, tepescere sensim cœpit *religio*, *virtus* hebescere, solvi *disciplina*, *charitas* minui, tolli *humilitas*, *paupertas* opprobrium esse simulque *parsimonia*.

Luxus præsidiū avaritia.

Sed ut pompis & luxui res subesset, *avaritia* crebescere. Quæ non suis diu contenta finibus, *aliena* non modo ambire, sed *rapere* & invadere moliretur, inferiores opprimere, & tam jure quam injuria spoliare.

Avaritia pestis Ecclesia.

Et quoniam latissimum hunc campum ingressi sumus, licet de *execrabili hac peste*, quæ *Ecclesiam* jam adeo consumpsit, ut pauca restent consumenda, paulo latius eloqui. Ordiri autem rectissimè à prophetico possumus oraculo, & cum sancto Propheta Hieremia de *ministris nostris* verissime hodie dicere, *à minimo usque ad maximum omnes avaritiæ student, & à Propheta usque ad sacerdotem, cuncti faciunt dolum.*

Pastores exempla gregum.

Quid enim satis dicere de eorum *avaritia inexplebili* possumus, quæ laicorum omnium negotiatorum cupiditatem superare videtur, imo quæ secularibus vniversis, seu principes seu plebei sint, omnis injusticiæ, doli, fraudis & rapinæ provocatio est & incitamentum. Dum simplices oviculæ *pastorum* suorum *exempla* imitantes, quæ eos agere videant sibi licere arbitrantur.

Studium opum in toto olim clero.

Sed nos istius pestis nephariæ *ab ipso summo vertice usque ad pedes* originem & processum videamus. Postquam, sicut jam dicere cœperam, *ex rerum opulentia*, *studium temporalium* mentes servorum Domini occupare cœpit, Deo simul & Mammonæ, duobus Dominis tam adversariis, non potuerunt pariter deservire. Fuit itaque necessarium, ut, quantum diligentiæ in unius servitium impenderent, tantum alteri subtraherent. Quanto vero amplius animum ad *temporalium lucra* adjecerant, tanto magis illa sitire, tanto amplius immergi in illis, sicque à cœlesti amore longius averti cœperunt. Hanc enim *divitiarum naturam* novimus, ut quo uberius habentur, eo abundantius animum ad sui semper incrementum majori accendere soleant concupiscentia.

Divitiarum indoles.

Devotio opum magis extincta.

Ita igitur factum est, ut *paulatim* extincto in cordibus eorum spiritu, frigescente caritate, tepente devotione, Deo denique oblito, *solis terrenis fructibus capessendis* inhiarent, sola in dignitatibus beneficiisque aliis *emolumenta* pensarent.

Prima pastorum cura de proventibus.

Nulla prorsus *hodierna die* in assumendis *pastoralibus sarcinis*, in *curaque animarum* subeunda, de servitio divino, de salute subditorum aut ædificatione, mentio habetur. De *proventuum ubertate* tantummodo & quantitate quæritur.

Nec verò tantopere quæritur, quanti sit *præsenti* homini & in Ecclesia rite servienti *valor beneficii*, quam quid suo possessori, longius otia agenti & perpetuo fortassis absuturo, *annuo proventu* reddere valeat.

Munera petuntur, non offeruntur.

Quis enim beneficium *non postulans? Neque* enim cuiquam, quantumlibet merito, *absque postulatione* instanti & importuna *tribuitur*.

Ecclesiarum cura, ovium velle ra non vita.

Quis enim talis petitor, qui sanctos veneraretur, in *Ecclesia per eum requisita* investigavit, quæ illic sanctorum dotes, quæ capsæ, quæ reliquiæ habeantur? Quis *de qualitate plebis*, cui præesse expetit, *de moribus aut vitiis* interrogat? Quis *monasterium* cupiens, de regulæ in illo observatione, de tenore religionis, cultu cæremoniarum, subditorum disciplina, percunctatur? Quis humerorum suorum *vires* librat, an sufferendo oneri, cui se suppone-

re quærit, sufficiat? Quis sua aut subditorum *pericula* considerat? Quis eis prædicat aut evangelizat? Quis *viam*, per quam *ad salutem* perveniant, *facto* aut *verbo* demonstrat? Imò verò, quis hodiè Prælatorum non, quacunque via potest, suos undique subditos spoliat? Quis eorum miseretur inopiæ, paupertati condolet, subvenit indigentiæ? Imo quis indigentiam ipsorum non jure & injuria amplificat?

Et, ut ita rem se habere, *à supremo Ecclesiæ vertice usque ad membra humilima*, doceamus; Primum de ipso *capite*, à quo cetera pendent, si placet, inspiciamus. *Pontificũ olim conditio ante Concil. Const.*

Cap. III.

De tribus vitiis, ex quibus cetera mala orta sunt in Ecclesia.

Fundus & gradꝰ malorum in Ecclesia.

POstquam ergo affluente rerum mundanarum exuberantia, & *majorum virtutibus posthabitis*, immensa *avaritia*, cum cæca *ambitione*, *virorum Ecclesiasticorum* invasit animos; Quod ad hoc consequens fuerat, & *fastu* elationis atque *dominationis* extolli cœperunt, & *luxu* effeminato resolvi.

Tribus itaque dominis exactoribus, utique infestissimis, fuit satisfaciendum: *Luxui*, qui delitias vini, somni, epularum, musicorum, ludorum effœminatorum, lenonum, scortorumque exposcebat: *Fastui*, qui domos excelsas, castella, turres, palatia, lautam & abundantissimam supellectilem vestium carissimarum, equorum, familiarum, pompaticam requirebat ostentationẽ: *Luxus.* *Fastus.*

Et suæ *cupiditati*, quæ ingentes ad hoc thesauros studiosiꝰ condebat, ut ad præmissa explenda suppeterent, aut si satis aliunde explicata essent, ad pascendum saltem, ex figuræ numismatis inani aspectu, oculorum delectationem. Quorum procul dubio dominorum insatiabilium ad exequenda mandata desideriaque perficienda, *aurea*, ut in fabulis est, Saturni *sæcula*, si orbi hac tempestate recurrerent, vix sufficere posse viderentur. *Cupiditas.*

Quoniam ergo ad ea agenda, quæ hæ *tres rapaces harpijæ* exquirebant, nullus, quantumlibet *opimus* & reditibus amplissimus *præsulatus* sufficere posse compertus est, *subsidia* aliunde, quibus eis satisfieret, excogitata sunt. *Nova subsidia.*

Cap. IV.

De exorbitantiis, per summos Pontifices in Ecclesia introductis.

Summorum Pontificum dominãdi libido.

SUmmi enim *Pontifices*, ut tandem ad eos veniam, qui quanto primatu & *auctoritate* se videbant ceteris præstare, tanto in hujus primatus & supremæ potestatis argumentum, plerumque se super alios *libidine dominandi* extulerunt: Cernentes, *emolumenta* Romani episcopatus, Petrique *patrimonium*, super regna quæque *amplissimum*, licet eorum ignavia satis jam attenuatum, ad *status eminentiam*, quam *ultra imperatores* & reges, omniumque gentium, in excelsum extollere statuerant, nullo modo suffectura: In *aliena ovilia*, fœtu, lana & lacte copiosa, incurrerunt.

Caput V.

De abolitione electionum, & reservatione beneficiorum.

Omni-

Ministeria sacra non electione sed venditione constituta.

OMnium quippe *Ecclesiarum vacantium*, quacunque per orbem terrarum Christiana religio protenditur, omnium præsulatuum, aliarumque dignitatum, *electione* fieri solitarum, *jura* & *collationes* sibi attribuerunt, *electiones* ipsas, à sanctis olim patribus cum tanta vigilantia & utilitate institutas, cassas atque *irritas esse* decernentes. Ut vel sic sua ulterius *explere* possent *marsupia*, ex omnique provincia, Christiano nomini dedicata, *molem auri atque argenti* infinitam, ad suæ opus *camera*, sedula negotiatione congregare.

CAP. VI.

De Camera Apostolica.

Camera Romana vis ante Cõc. Const.

QUæ *camera* quanti constiterit, quantum universas Ecclesias, *regna* pariter & provincias *exhauserit*, & *incurabile* est & prorsus incredibile.

Sed forte *Romanæ sedis antistites*, creationem Pontificum, collationemque superiorum graduum Ecclesiæ, idcirco *abolitis electionibus* ad suum revocarunt arbitrium, ut, sua provisione, salubrius consuleretur Ecclesiis, *rectores* que in illis, tum *vita* laudabiliores, tum *doctrina* præstantiores, instituerentur. Erat, cur hac de causa quis factum crederet, nisi res ipsa ex adverso reclamans, apertius doceret, posteaquam hæc facta sunt, *ignaros inutilesq; homines*, dummodo *pecuniosos*, ad gradus sublimiores Ecclesiæ *patrocinio Simonis* evectos. Qui suscepta creditaque ovilia qualiter administrent, posterius dicam.

Ignari ad sacra e- vecti, munerum beneficia.

CAP. VII.

De exspectativis, & qualitate currentium ad curiam Romanam.

Ecclesiarum patroni jure suo olim exuti & privati per summos Pontifices.

SEd de *summis Pontificibus* inchoatus sermo prius mihi absolvendus est, qui ut regifico luxu, suum, quemadmodum in votis habebant, supra omnes mortalium magnificentias, statum exaltarent, non solum ea egerunt, quæ de electionibus audistis, verum ut *aurei rivuli*, omni ex parte derivati, suam uberius curiam irrigarent, omnibus diœcesanis & *patronis præsentandi facultatem conferendique libertatem*, quoquove alio modo de suis beneficiis disponendi, *ademerunt*, interdicentes illis sub pœna anathematis, ne *ausu temerario* (sic enim illorum loquitur tritum jam frequentiori usu rescriptum) in quovis beneficio sibi subjecto aliquem instituere præsumerent, quamdiu quis occurreret ex illis, quos *sua auctoritate* beneficia illa exspectare concesserant, qui illud adipisci vellet.

Quantus verò, Deus optime, *expectantium* numerus, ex illo tempore, & *qualium* undique affluxit, atque ubi præsto fuit! Non tantum *à studiis* aut schola, sed *ab aratro* etiam & servilibus artibus, ad parochias regendas, ceteraque beneficia, passim proficiscebantur. Qui paulo plus Latinæ linguæ quàm Arabicæ intelligerent. Imò qui & *nihil legere*, & quod referre pudor, alpha vix nossent à betha discernere. Ac *morum* in illis *compositio*, hanc forte *ignorantiam excusabat*. Imò si parum docti, negligentius aut intelligentius morati: utpote qui *absque literis* in otio educati, nihil nisi impudicitias, ludos, commessationes, jurgia, vaniloquia, consectentur. Inde omnibus in locis tot *Sacerdotes improbi* & *miseri* atque *ignari*, qui ruinæ & scandalo sua turpi conversatione subditis sunt.

Inter exspectantes munera sacra, olim erãt ignaristimi.

Comtuli tamen & pulchelli.

Sacerdotum inscitia ante Conc. Const.

Inde in ore vulgi tantus *sacerdotum contemptus*, tanta vilipensio. Inde totius *ordinis Ecclesiastici dedecus*, ignomi-

nia, opprobrium, & nimis erubescenda, si erubescere scirent, confusio. Sed *frons* multorum attrita *erubescere non novit.* Quia, sicut est apud Prophetam, *sua confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt.* Olim summo in honore apud seculares sacerdotium erat, & nihil venerabilius *presbyterali ordine:* Nunc verò nihil abjectius aut despicabilius.

CAPUT VIII.

De Vacantiis & aliis Vectigalibus Ecclesiam opprimentibus.

Camera apostolica olim charibdis.

ADjecerunt autem *summi Pontifices* personis Ecclesiarum & Ecclesiis ipsis, ultra præmissa onera, *vectigalia* alia, ad illam suam *cameram*, imò potius *charibdim*, sulciendam. Statuerunt namque, ut, quoties aliquem *virum Ecclesiasticum*, quacunque foret dignitate vel conditione, *ex ista luce migrare* contingeret, aut suum cum altero quovis qualecunque beneficium permutare, toties omnes *proventus primi anni secuturi*, certam ubiq; ad summam suo arbitratu *taxatos*, sua memorata *camera* acciperet. Quod si illam fortassis *summam* annua fructuum collectio, aut ex diminutione fructuum, aut alia calamitate, conficere non posset, *triennali* vel quandoque *quadriennali fructuum exactione* ad summam ipsam pertingi voluerunt.

Provento primi anni ad cameram Romanã ab omnib9 Ecclesiasticis olim deferendi.

Exactiones graves.

Quid *prælatorum spolia*, quid creberrimas *decimas*, omnibus Ecclesiasticis indictas, quid *angarias* alias commemorem? Quid *concessas* principibus super clero universo *à Papa* & Pontificibus *exactiones*, cum seculari in illos solvendi coercitione? Quid retentas procurationes, & *sine ulla visitatione* ab ipsis Episcopis & Archidiaconis ubique subtractas? Qui nescio, an majorem plagam Ecclesia sustineat. Quantæ enim pernicici est, Ecclesiarum *visitationes* rectorumque *reformationes* penitus *suppressisse* atque exstinxisse, & de politiæ Ecclesiasticæ destructione quæstum atque emolumenta percipere? Quid infinita alia quotidiana *onera tributorum*, ab infortunatissimis *Ecclesiarum ministris* exacta, quæ longum esset exequi particulatim, referam?

Decimæ.

Angariæ.

Visitationes Ecclesiarum neglecta.

Tributa Ecclesiæ ministris imposita.

CAPUT IX.

De institutione Collectorum, & malis per eos illatis.

Collectores redituum Pontificalium ante Concil. Const.

AD hæc autem omnia exigenda, & ad illam, seu *cameram* seu potius *charibdim* dixerim, transportanda, suos per omnes provincias *collectores* instituerunt, illos videlicet, quos scirent in extorquendo argento, vel industria, vel diligentia, vel naturæ acerbitate *acriores*, & qui nulli omnino parcerent, nullum eximerent, sed vel ex silice aurum elicerent. Quibus & *autoritatem* annuerunt, quoscunque etiam prælatos *anathemate feriendi*, extraque comunionem fidelium exturbandi, nisi intra præfinitos dies de postulata pecunia satisfacere curassent.

Autoritas excommunicandi data collectoribus.

Quanta autem *hi collectores* mala egerint, quantum *pauperes Ecclesias ac personas oppresserint*; Ne nunquam ex loco isto pateat exitus, utilius est præterire. Hinc illæ tot *querimoniæ* infelicium Ecclesiæ ministrorum, quas audivimus & crevimus, sub *importabili jugo* ingemiscentium, imo fame perceuntium. Hinc illæ *suspensiones à divinis*, illæ à templi liminibus *interdictiones*, illa *anathemata* gravissima toties exaggerata. Quæ non nisi rarissimo usu &

Pressæ Ecclesiæ.

Importabile jugum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Excommunicationum frequentia ante Concil. Const.

Templorũ ruina.

su & pro horrendo scelere à patribus infligi solebant. Quum per ea homo à fidelium contubernio segregatus, in potestatem Satanæ redigatur. Sed hodiernis diebus adeo invaluerunt, ut passim pro levissimo quoque delicto, sæpè etiam pro nullo, inferantur, sicque in nullum timorem, sed in extremum pervenerunt conteptum.

Hinc præterea illæ tantæ *Ecclesiarum ruinæ*, illa tot *monasteriorum excidia*, illæ *sacrarum ædium* tot in locis solo æquatarum *dejectiones*, dum ea, quæ in illis instaurandis ac reficiendis impendi solebant, in his tot *vectigalibus* exsolvendis impenduntur. Quin etiam, ut compertum est ex illis, quibus res accidit, sacrosanctæ reliquiæ plærisque in Ecclesiis, *pro* horum *redditione tributorum*, cruces, calices, feretra, aliaque preciosa ornamenta, venierunt.

Et mortui à camera Romana plexi.

Quis nescit, tot *abbatibus*, totque aliis *prælatis*, cum decessissent *camerapra inopia obnoxii*, *negata funeralia*, negata *exequiarum solennia*, negatam *humationem*, nisi forte in agris aut hortulis aut prophanis aliis sedibus clanculo tumulati sint.

Longus emungendi usus.

Coguntur, ut videmus, *sacerdotes* præ angustia rei familiaris, suas villas, sua loca, sua beneficia deserere, &, *famelici* passim victum quæritare, laicisque hominibus in *prophanis officiis* ministrare. Tulerunt aliquamdiu hæc onera pingues adhuc & uberes Ecclesiæ: Sed jam verè omnibus *longo emungendi usu* exhaustis, ultra portare nequeunt.

CAP. X.

De litigiis curiæ Romanæ.

In Romana curia olim venalia omnia.

PRætereo, multa enim me præterire necesse est, si ex hac velim *abysso* emergere, quot in *Romana curia* (*sic namque illam vocabant, quamvis longè à Roma distaret*) fraudes erant, quot doli, quot calumniæ, quot per illos litium incentores pecuniâ corruptos, contra innocentum jura, insidiæ, quot *venalia* illic judicia; Quantum ibi *aurum* valeret ad divertendum justitiam: Quàm rarò pauper optatum de lite referret, si modo adversarium opulentum nactus esset: Cum tamen *pauci* admodum, quocunq; niterentur titulo, *absque lite & adversario beneficium obtinerent.*

CAP. XI.

De regulis & Constitutionibus Cancellariæ.

Regulæ Cancellariæ Romanæ depictæ.

NAm quid hæ tot *novæ regulæ* & constitutiones, *per unumquemque Pontificem editæ*, ultraque antiqua jura & paternas sanctiones observari jussæ, nisi quidam *captiosi laquei* sunt, atque *uberrima litium materia*, quibus illi *cavillosi curiales* sophisticique jurium perversores, ad exuscitationem infinitarum litium contra jus & veritatem *mille nocendi artibus* abutuntur, ut vix aliquis inveniatur, etiamsi titulum sole lucidiorem demonstraret, qui absque controversia beneficium tulerit.

Captiosi laquei.

CAP. XII.

De prosperitate Curiæ Romanæ.

In litibus olim curiæ Ro. felicitas.

ITa namque florere & *felicem* esse suam illam affirmant *curiam*, si multis undique causis, *litibus*, querelis, & concertationibus, clamore insanissimo persultet: Contra verò inutilem, desertam, *inopem*, *si litibus sit vacua*, si

pace

pace gaudeat, si suis possessoribus sua pacifice jura permittantur. Nihil itaque hodie vel *parum interest, quo pacto beneficium quis habeat*; Utrumne vero ostio verus *pastor* introeat, an dolosè aliunde vel *latro* irrumpat.

Quod si explorator aliquis intelligens liquido posset discrimine utrorumque internoscere numerum, non est apud me dubium, plures nunc *latrones in Ecclesia* repertum iri, quam veros pastores. Ut jam vera sit Christi sententia, qua ait ad negotiatores de domo sua ejectos: *Domus mea domus orationis est, vos autem eam fecistis spelunca latronum.* *Latrones in Ecclesia*

Caput XIII.

De statu & introductione Cardinalium.

JAm verò *Cardinalium*, qui Papæ assident, spiritus, verba tumentia, gestus insolentes: ut si artifex quilibet vellet superbiæ simulacrum effingere, nulla congruentius ratione id facere posset, quàm *Cardinalis effigiem* oculis intuentium objectando. *Cardinalis effigies.*

Ex sortis tamen infimæ clericatu in hanc elationem cum sedis apostolicæ pompatus incremento pervenerunt. Quippe quibus id *olim* erat negotii, ut efferendis mortuis sepulturæque mandandis inservirent. Nunc verò phylacteria sua in tantum dilatavérunt, ut non modo *Episcopos*, quos *Episcopellos* solent passim vocare, sed patriarchas, primates, sed archipræsules velut infra se positos despiciant, imo se jam ab illis supplicibus propemodum adorari sententient, quin etiam reges ipsos æquiparare contendant. *Antiquũ Cardinal. officium.* *Episcopelli qui?* *Splendor Cardinalium.*

Sed hac eorum omissa *vanitate*, quis immensam & *inexcusabilem* voraginem suæ *concupiscentiæ* verbis æquare valeat? Nulla prorsus ad hoc verba sufficiunt, nullum ingenium, nulla facundia. *Vanitas. Cupiditas.*

Quia ergo de re ista plenè differere non meæ facultatis est, pauca solum summatim attingam ex acervo grandissimo excerpta.

Caput XIV.

De multitudine beneficiorum Cardinalium, & eorum incompatibilitate.

ATque in primis, quantæ illud *aviditatis* est, quod tantam *multitudinem beneficiorum invicem repugnantium* tenent? Quod *Monachi* simul & *Canonici* sunt, *regulares* & *seculares?* Quod sub eodem habitu, omnium religionum, ordinum, professionum, jura, gradus & officia, beneficiaque possident? Non quidem *duo* vel *tria*, *decem* vel *viginti*, sed *centena* & *ducentena*, & interdum usque ad *quadringenta*, vel *quingenta*, aut his amplius: Nec parva, vel tenuia, sed *omnium pingvissima* & optima. *Beneficia repugnantia.* *Quingenta un° Cardinalis tenet officia.*

Quibus si contenti essent, postquam ad *summam* illam *numerosam* perventum esset, nec ultra quærerent, prospere cum *pauperibus clericis*, qui *reliquias* eorum exspectant, ageretur. Sed quemcunq; ad numerum aut summam venerint, ad ampliorem festinant. *Insatiabilis beneficiorum cupiditas.*

Novas indies *gratias*, novas *concessiones* petunt. Quas cum senserint ad finem properare, in integrum reformari, aut denuo in majus augeri, sine ulla cessatione exposcunt. *Beneficia renovanda.*

Sic omnia *vacantia*, quæ alicujus sunt momenti, amplectuntur, omnia auferunt. Nihil omnino, saltem quod fructuosum sit, vel pauculum nimis, aliis percipiendum relinquitur. Nec tamen *sitis* illa *undâ* tanta *beneficiorum* extingvitur, sed vehementius ardet, & a- *Sitis auri inexplebilis.*

& arentes animi fauces magis semper accendit: *Non* modo ullis fructibus omnium Ecclesiarum toto orbe constructarum, sed neque tota auri mole, quam Tagus suis arenis secum vehit, quamque Pactolus volvit, *explebilis.*

CAPUT XV.

De Contractibus Simoniacis Cardinalium.

CErnentes igitur *inopes alii* & calamitosi *Ecclesiastici*, nihil se posse consequi, sed omni prorsus spe alicujus boni, nisi his autoribus, destitutos, non habentes quid faciant, aut quo se vertant, ad hos ipsos se conferunt, & aut cum *Simoniaca* pravitate *beneficia* ab iis *mercantur*, aut *pensione annua*, quod æque Simoniacum est, ab illis redimunt, aut vestigiis eorum advoluti, in eorum familiam admitti postulant. Ut vel longo famulatu, sæpe etiam ignominiose, *aliquem sibi in Ecclesia titulum* pariant.

Vendunt-tur honores Ecclesiastici.

Nam quid hodierna die est, quod sibi aliquis de *probis moribus*, vel *eruditione*, quo promoveri valeat, blandiatur? Non jam his artibus, ut quondam apud *majores* fieri solitum esse accepimus, ad *honores Ecclesiæ* ascenditur: Sed illis, quas modò retuli, quasque de secularium potestatum famulatu & importunis petitionibus paulo post relaturus sum.

Eruditio & boni mores parum sæpe juvant.

CAPUT XVI.

De statu beneficiorum Cardinalium.

IN *monasteriis* autem & locis aliis, in quibus beneficia *Cardinales* occupant, quomodo Deo serviatur, quomodo domus & ædificia labentia reparentur, res ipsa loquitur. Omnia illic *corruunt*, omnia *labuntur*, omnia pereunt. Ideo ut sæpe oporteat omnem ab eis administrationem per laicam manum subtrahi, donec reparationes ibi necessariæ quæ nunquam alias fierent, expletæ sint.

Officiorũ cura nulla.

Quomodo ibi vivatur, qualis *disciplina* aut *regula* observetur, nihil ad eos attinet, dummodo suorum procuratorum solertiâ *bursa* sua *nummis multis onusta* redeat.

Disciplina neglecta.

Bursa onusta.

Sed jam diutius quàm oportuerit, *leviora* rerum mediocrium *detrimenta* querimur: *Ruinam* potius *universalis Ecclesiæ*, ex dira *ambitione* horum proborum virorum profectam, queramur.

Ruina Ecclesiæ ante Concil. Const. ex quibus.

Quis enim nesciat feram truculentissimam, omnia exterminantem, consumentem, profligantem, *sectionis* scilicet *schismatica* horrendam *pestem*, per nequitiam Cardinalium in Ecclesiæ gremium injectam, fotam, auctam, propagatam, tamdiu inveteratam. Quæ quanta cum pernicie *per tres ferme & viginti annos* Ecclesiam omnibus viribus, omni laude, omni honore nudaverit, quantum eam in profundum omnium miseriarum malorumque demerserit, vix Tullius, si revivisceret, satis eloqui posset.

Schisma Ecclesiæ ante Conc. Constan. à Cardinalibus profectum.

CAPUT XVII.

De omissione multiplicium vitiorum Cardinalium.

TRanseo *Simoniacas* apud Papam *intercessiones*, transeo *patrocinia venalia*, transeo *corruptiones* propter promotiones turpissimas & damnatissimas.

Simonia.

Quæ omnes fere istis auctoribus & svasoribus fiebant.

Stipendia aulica. Transeo mercedes & *stipendia temporalium dominorum*, quæ cum maximo Ecclesiæ dispendio capiebant, ut in eorum negotiis adjutores & curatores & *consiliarii* forent: Magis illis procul dubio quam Ecclesiæ consulentes: Imo, dum eis placerent, Ecclesiæ incommoda minimè curantes.

Libido. Nec enumerare volo eorum adulteria, stupra, fornicationes, quibus Romanam curiam etiam nunc incestant: Nec referre obscænissimam illorum *familiæ* vitam, à dominorum tamen moribus nullatenus absonam.

Usuræ. Sed nec illud etiam refero, quod *usuras* & commercia publicè exercent, quod mercatoribus ac numulariis suas pro lucro mutuant pecunias. Qua ex causa *numularios supremæ tabulæ* non incongruenter *Cyrillus* appellat.

Numularii supremæ tabulæ. Hæc omnia aliaque permulta, etiam *graviora*, quæ longa nimium narratione onerosam redderent orationem, prætereo.

CAPUT XVIII.

De Promotionibus ad instantiam Pricipum per Papam solitis fieri.

SEd me præterire non decet, priusquam de hac *curia* egrediar, quantam & quam abominabilem fornicationem *Papa* & hi sui *fratres*, cum seculi principibus inierint. Namque, ut sua *dominia*, imò verius ut suam *tyrannidem*, omnibus nec injuria supra modum invisam, inconcussa stabilitate confirmare possent, sicque tutò *quodcunque libitum esset peragere*: Temporalium *principatuum*, ad quorum se imitationem componere atque conformare in animum induxerant, *captare amicitias*, favoresque conquirere, quacunque possent industriâ, studuerunt: Nunc multa *beneficiorum* his, pro quibus exegissent, *largitione*, nunc *xeniis* & *donis*, nunc *promissis* uberrimis, sæpè assentationibus & gnathonicæ doctrinæ versutiis, fraudulentiis.

Dominiũ conservãdi artes, in aula Ro.

Principũ favor omni modo captatus.

Principes incauti Ecclesiam totam arbitrio Ro. curiæ tradiderunt. Itaque ne longum faciam, adeo se & Ecclesiam universalem eorum arbitrio subjecerunt atque dediderunt, ut vix aliquam *parvulam præbendam*, nisi eorum mandato vel consensu, in provinciis eorum tribuere ausi essent. Si *Episcopus* aliquis obierat, si *decanus* vel *præpositus*, vel alia quælibet persona Ecclesiastica: Quis, in demortui locum surrogari appetens, *non prius ad Regem* quam *ad Papam* ibat: Imò verò quis ita insanus, ut absque regiis literis ad Papam postulaturus accederet?

Ad Papam prius quã ad Principes itum, dum officium petitũ.

Mirabile dicturus sum, & quanquam vix credibile, verum tamen. Si quis Papæ necessarius, propinquus, familiaris, aut quilibet alio titulo dilectissimus, pro sua apud eum promotione institisset, *regales* ante omnia ab ipsomet Pontifice jubebatur *literas* quærere. Alioquin se frustra niti, omniaque tentamenta in vacuum abitura, quantumcunque ad gratiam illi faciendam Papæ esset proclivis animus. Quam verò importunè, quam imperiose, quam manu, ita dicam, ensifera, terreni ipsi domini, *per suos sollicitati*, Papam per suas quotidianas literas urgebant, nequaquam credibile foret, nisi res usu assiduo promulgata certitudinem faceret. Plus enim præceptoriis & comminatoriis scriptis res agebatur, quam commendatoriis vel precatoriis. Quibus si detrectassent pontifices obtemperare, & alteri, quam pro quo petebatur, contulissent, certum erat illum non recipi. Sic itaque omnes vacantes præsulatus, omnia beneficia fructuosa, secularis illa familia, omnium rerum Ecclesiæ ministeriorumque ignara, vi atque importunitate extorquebat.

Artificium curiæ Ro.

Nulli *eruditi viri*, [de *literarum sacrarum eruditione* loquor] nulli probi, justi, virtuosi, qui curiarum liminarari terunt, ad suprema dignitatum fastigia

Eruditio spreta.

fastigia veniebant: Sed *ambitiosi* quique, sed *adulatores*, sed *histrionici*, sed omnibus vitiis imbuti, quales in aulis principum frequentes conspicimus.

Nam quotusquisque hodie est ad pontificale culmen evectus, qui sacras vel perfunctoriè literas legerit, audierit, didicerit, imo qui sacrum codicem nisi tegumentotenus unquam attigerit, cum tamen jurejurando iilas in sua institutione se nosse confirment? Aut pontificia tenent homines ignari & illiterati: aut, si qui literati sunt, hi solummodo temporalia imperialium legum præcepta, sacerdotibus interdicta, *lucrosasque scientias*, secuti sunt: Nihil omnino de lege divina vel spirituali eruditione, qua plebs ad salutem erudienda est, sentientes.

Caput XIX.

Quod congregatio pecuniæ sit præcipua cura prædictorum Prælatorum.

Lucrum crumenarum.

Igitur juxta morem suarum professionum, summo undique studio ad *lucrum* inhiant, non quidem *animarum*, sed *crumenarum* potius. Quæstum ubique explorant, quæstum flagrant, quæstum pietatem putant. Nihil omnino agunt, nisi quod *ad colligendam* quacunque ex occasione *pecuniam* suffragari posse crediderint. Pro ipsa altercantur, certant, jurgantur, litigant, multò *æquanimius* laturi jacturam decem millium animarum, quàm decem vel duodecim solidorum.

Animarum nulla cura.

Sed me jure reprehendo, qui *æquanimius* dixi: Cum nullo animi motu vel turbatione, animarum dispendia, de quibus non modo nulla apud eos cura, sed neque cogitatio est, excipiant, damna verò suæ rei familiaris, etiam levia, furiata prope mente sustineant.

Probi & sinceri Episcopi contempti.

Denique, siquis fortassis *pastor* surrexerit, qui non hoc more incedat, aut qui pecuniam contemnat, aut avaritiam damnet, qui denique non omni via, seu justa, seu iniqua, aurum à suis subditis extorqueat, aut salutari exhortatione vel prædicatione animas lucrifacere studeat, & plus in lege Domini quàm in legibus hominum meditetur: Ex templo in morsus ipsius omnium dentes acuentur. Illum prorsus ineptum, nec dignum sacerdotio clamitabunt: Quippe qui legum humanarum nescius, jura sua defendere non idoneus sit, suos subditos regere, mulctare & coërcere per canonicas censuras non noverit, nihilque aliud didicerit, nisi inerti otio aut sermocinationi incumbere. Quæ officia *mendicantium* palam esse astruunt, nulla temporali cura vel administratione, quæ utiliori occupatione suos animos teneat, fungentium.

Sacræ scripturæ studia olim risui habita Episcopis.

Jam itaque *sacrorum eloquiorum studia* cum suis professoribus *in risum atque ludibrium* omnibus *versa* sunt, & præsertim, quod magis prodigiosum est, *Pontificibus*, qui suas traditiones divinis longè mandatis anteponunt. Jam illud egregium & præclarissimum *prædicandi officium*, solis quondam pastoribus attributum, eisque maximè debitum, ita apud eos viluit, ut nihil magis indignum, aut magis suæ dignitati erubescendum existiment.

Caput XX.

De vitiis Prælatorum.

Sed ecce, dum adverto, proprios *curiæ Romanæ* limites egrediens, ad ea, quæ unà cum ipsis aliis etiam prælatis *communia* sunt, *vitia* delapsus sum, quæ tamen magis in particulari, quia locus incidit, succincta relatione pertractare volo.

Principio nulli debet alienum vel mirum

Auri cupiditas in prælatis ex auro impenso pro officiis. Muscæ macie confectæ mordent asperius.

mirum videri, si *corradendis* omni ex parte *pecuniis* nostris *prælati* summopere invigilent: Si macri, tenues, atque inaniti, succo, lana & lacte suarum ovium se incrassare student, quibus *pastores fieri tam caro constitit. Muscæ* enim, ut in proverbio est, *macie confectæ asperius mordent.* Cuncta quoque *animantia esurie inanita avidius in prædam feruntur.* Quamvis enim ante susceptam curam pastoriam locupletissimi essent: Neque enim ad hoc indigentes solent admitti: Tamen ex ministerio sibi collato suos saltem maxima ex parte evacuari loculos oportuit. Quare eos non immeritò summo iterum labore replere insistunt, exemploque sapientis agricolæ cum cremento, & grandi fervore icta semina colligere. Ut igitur recuperare imminutam substantiam seduloque ampliare possint, more vigilantissimi negociatoris universas merces suas omnibus qui eis indigent, diligenter *venales exponunt.*

Modi acquirendi.

Si quis apud eos clericus pro furto, pro homicidio, pro raptu aut sacrilegio, aut alio quovis enormi crimine in carcerem conjectus sit, tristisque panis & aquæ edulio adjectus, tamdiu pœnæ subjacebit, & tanquam reus sua commissa luet, donec pro modo sui sensus aut suorum quæsitam à se pecuniam persolverit. Ubi verò id egerit, liber & velut innocens abire sinetur. Omnis noxa, omnis error, omnia *maleficia*, etiamsi capitalia sint, *per pecuniam laxantur* ac delentur.

Jurisdictio tyrannica in Ecclesia.

Nam quid loquar de *exercitio suæ jurisdictionis*, quæ ita violenter & *tyrannicè* regitur, ut magis hodie homines eligant tyrannorum immanissimorum quam Ecclesiæ subire judicia.

CAPUT XXI.

De promotoribus jurisdictionis Episcoporum, & eorum abusibus.

Exploratores criminum dicti Promotores.

Artes plebem emulgendi ante Concil. Const.

DIci non potest quanta mala ubique faciant illi scelerati *exploratores criminum*, quos *Promotores* appellant. Simplices & pauperculos agrestes, vitam satis innocuam in suis tuguriis agentes, & fraudis urbanæ nescios, in jus sæpe pro nihilo vocant. Causas & crimina contra eos sedulo confingunt, vexant, terrent, minantur, sicque eos per talia secum componere & pacisci cogunt. Quod si facere renuerint, crebris eos citationibus, quotidieque repetitis, supra modum infestant.

Quod si semel qualibet occasione præpediti comparere desierint, censura illico *anathematis*, ut rebelles & contumaces feriuntur. Si vero ad diem venire, quoties vocati erunt, perseveraverint, eorum audientias apud judicum tribunalia impedient, morasque & subterfugia dilationum & interlocutionum captabunt, quæ perfacile in foris ecclesiasticis obtinentur, quo vel sic longo tœdio longaque sui temporis jactura fatigati, super futuram vexationem atque impensam pecuniæ, pactione redimere cogantur. Ita fit pro levi, vel nullo, delicto, vel pro exiguo debito, infinitarum cumulus expensarum.

Excommunicatio personæ insonatis plebis.

CAPUT XXII.

De exactionibus pro concubinis tolerandis.

JAm illud, obsecro, quale est, quod *plerisque in diœcesibus*, rectores parochiarum, ex certo & conducto cum suis prælatis pretio, passim & publicè *Concubinas* tenent? Quòd *subditorum excessus & vitia*, omniaque officia, quæ judiciis præesse sunt solita, publicè *vendant*? Sed adhuc levia sunt hæc.

Concubinæ publicæ.

CAPUT

CAPUT XXIII.

De collatione Simoniaca sacrorum ordinum.

Officia sacra vendita.

ILlud vero quomodo ferendum, quod *nullus ad dericatum*, vel ad sacrum ordinē, ve ad quemcunq; gradum Ecclesiasticum, *nisi mercede accedit?*

Nummus confessionarius.

Quod *nulli*, sacramentalem gratiam requirenti, *minus imponunt, nisi qui certum antea precium dederit?* Quod omnes *confessiones, absolutiones*, dispensationes *venales* faciunt?

Quod si aliqua beneficia suæ sint dispositioni devoluta, *pro quæstu* ea conferunt, vel suis ea *spuriis* aut *histrionibus* donant. Aut, si quis forsan eis illud Evangelicum objecerit: *Gratis accepistis, gratis date*: Non deest quod illico respondeant: *Se minimè gratis accepisse, quare nequaquam astringi* ex verbo illo, *ut gratis tribuant*: Illos denique solos antistites, si qui tamen istiusmodi sunt, illa sententia ligari, qui pastorale officium absque ullo rei suæ dispendio sortiti sunt.

Quæstus sacer.

Simonia color.

CAPUT XXIV.

De indignis & indigne promotis ad sacerdotium.

Gratia emta.

NOn est igitur, quod quisquam, risi à vero valde devius, *gratiam* putet ab eis tribui. Quomodo enim gratis data? Nisi falso putabimus, maguum illum pestiferum dira maledictione à Petro reprehensum, qui donum Dei pecunia possideri existimaverat.

Indignorũ presbyterorum origo.

Ex isto autem fonte profluit illa copiosa *vilium* atque *indignissimorum presbyterorum* multitudo. Ut enim ex suis ordinibus majora lucra percipiant, omnes quotquot advenerint, *nullo* aut *parvo* admodum *discrimine*, ad eos quos petierint *titulos* admittunt. Nisi forte qui adeo egestate premuntur, ut solvendo non sint. Nulla de *vita anteacta* percunctatio est, nulla de eorum *moribus* vel fama quæstio.

Tituli sacri venditi.

De *literis* verò & *doctrina*, quid loqui attinet? Cum omnes fere *presbyteros sine aliquo captu*, aut rerum aut vocabulorum, morosè syllabatimque vix legere videamus. Quem ergo fructum, quam exauditionem, ex suis orationibus sive sibi, sive & aliis impetrabunt, quibus *barbarum est, quod orant?* Quomodo per suas preces Dominum alienis propiciabunt, quem sibiipsi suâ *ignorantia* & suæ *fœditate vita* per suum ministerium insensum faciunt?

Barbaries cleri antè Concil. Const.

Si quis hodie desidiosus est, si quis à labore abhorrens, si quis in ocio luxuriari volens, ad *Sacerdotium* convolat. Quo simul ac perventum est, fornices & cauponulas seduli frequentant, potando, commessando, pransitando, cœnitando, tesseris & pila ludendo, tempora tota consumunt. Crapulati verò & inebriati, pugnant, clamant, tumultuantur, nomen Dei & Sanctorum suorum pollutissimis labiis execrantur. Sicque tandem compositi, ex meretricum suarum complexibus ad divinum altare veniunt.

Sacerdotium otii præsidium.

CAP. XXV.

De perpetua absentia Prælatorum ab Ecclesiis suis.

SEd redeo ad nostros *Episcopos*, qui in omni lubricitate ab ineunte adolescentia educati, tales pestes, ut dixerim, ministros in Ecclesiam inducunt. Inter quorum gesta memorabilia illud à me prætermitti non debet,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Episcopi Ecclesias, non visitarunt.

bet, quod multi ex eis qui pastorali apice potiuntur, perq; annosa tempora potiti sunt, *nunquam* civitates suas intraverunt, *suas Ecclesias viderunt*, sua loca vel *diœceses visitaverunt*, nunquam pecorum suorum vultus agnoverunt, vocem audierunt, vulnera senserunt, nisi ea forte vulnera, quæ ipsi suis uberibus spoliis per *alienos mercenarios* eis intulerunt. *Alienos* dixi, quia & ipsimet mercenarii sunt, qui non gregis sui custodiam, salutem, profectum quærunt, sed solum temporalis mercedis retributionem.

Mercenarii in Ecclesia.

Itaque ipsi non sunt nisi inani tantum nomine. Quia res per nomen signata procul abest. Nomen etenim *Episcopi speculator* sonat, vel *Superintendens*. *Speculatorem*, inquit Propheta, *posui te domui Israel*. Hi vero super ovium profectu nihil prorsus intendunt, nihil speculantur, nihil prospiciunt, sui corporis curam agunt, sese & non oves pascunt, non magnopere pensantes, quis ovibus casus accidat, utrum morbo, vel jejunio consumptæ pereant, dum sibi vel ex earum morte aliquid capessiant.

Superintendentes.

Cap. XXVI.

De Prælatis in Curiis Principum residentibus.

Episcopi, Principum consiliarii.

AT enim, dicet forsan aliquis: Jure eis ignoscendum est, si *raro suas diœceses adeant*, aut suas tardius revisant plebeculas: Quoniam *pro consilio à principibus accersiti* magna regni negotia tractant, innixamque suis humeris rempublicam regunt, tutantur, & sustinent, alioquin gravissimè collapsuram. Quod utique laudabilius videtur esse, quàm suæ privatæ rei consulere.

Primum illud nequaquam eis dederim, quod ipsi ultro à principibus tanquam *consiliarii* evocentur. Quin imo magnis sumptibus, amicorumque intercessionibus hoc impetrant, *non* quidem zelo aliquo vel *cura Reipublicæ*, cujus nulla apud eos caritas est, sed *propter stipendia* & larga munera, quæ exinde eis proveniunt, ut alieno sumptu viventes suarum proventus Ecclesiarum in æraria recondant.

Consiliarii charactere emptus.

Deinde qualem *Reipublicæ* langventi, imo extinctæ & jam prope sepultæ, *utilitatem* afferunt? Utinam nullum nocumentum & *perniciem* afferrent.

Episcoporum consilia.

Numquid ea re quæso prosunt, quod omnium *tributorum onera*, quibus hodierna tempestate populus urgetur, suis calliditatibus & suggestionibus reperiunt, & reperta intumant, & tam in longum perducta. Unde & jam pridem usus in regno isto inolevit, quod aliqui *Episcopi* talium *exactionibus præsunt*, de causis quoque & querelis eorum decernunt.

Nam idcirco presunt, quod ad concionem vocati, & suum jussi dicere sententiam, magis ea quæ *principi* sciunt *placitura* quam *reipublicæ profutura* persvadent? Quod sæpe *largitione*, sæpe *gratia*, sæpe *odio*, sæpe etiam *timore* ducti, non justa, vera, sincera, sed perversa atq; noxia, fallacibus adoperta blandiciis dominorum auribus suggerunt.

Consiliorum regula.

Fontes consiliorum.

Porro an ea re adjuvant rempublicam, quod rectoribus illorum, qui eam administrant, *amorem rei privatæ* super amorem communis inculcant? Quod enim ipsi faciunt, consequens est, ut consulti alios etiam facere hortentur, ne turpi inter se pugna verba eorum atque acta diffideant.

Denique quis ex illis pauperum defensator est, quis afflictorum consolator, quis oppressorum sublevator, quis pro pupillo patronus, quis pro inope vidua contra calumniatorem protector? Imo vero, quis magis *à compassione* atque *miseratione* quorumlibet miserabilium *alienus*? Pulchre de eis *Esaias* & vere loquitur sub imagine principum Synagogæ, quorum isti etsi successores tempore in flagitiis, jure tamen forte in gravitate præcessores dici pos-

Immiseriscorda.

ei possunt. *Principes*, inquit, *tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant; & causa vidua non ingreditur ad eos.*

Caput XXVII.

Quod tales Prælati mercenarii dicendi sint.

Mirum autem, quid illud sibi vult, quod cum vere quilibet Pontifex ab Ecclesiâ, cui præsidet, sex vel septem, aut decem millia aureorum annuatim accipiat, à rege verò pro stipendiis *mille* ad summam *aureos*: Suæ tamen *Ecclesiæ*, & ovilis sibi crediti, *curam* pro regio famulatu *derelinquit?* Nonne saltem ut *mercenarius* danti majorem mercedem servire debebat?

Reditus gemini ex Ecclesia & aula.

Mercenarii Ecclesiastici.

Sed illorum ad hæc *responsio* in promptu est. Licèt enim amplius sit, quod Ecclesia tribuit, quàm quod Princeps, attamen munus illud majori adjunctum *summam cumulatiorem* constituit, duoq; bona potiora sunt uno. Denique *fructus*, qui *à rege* præbentur, nisi regio lateri assistant, sciunt sibi non datum iri: At illos, qui *ex episcopatibus* veniunt, longè etiam positis & ab omni servitio immunibus nihilominus tribui. Quid quod suam *promotionem*, rege instante factam, *regi* ipsi, & *non Deo*, nec Ecclesiæ imputant. Quapropter ut *grati homines*, illius, per quem gratiam adepti sunt, nequaquam immemores, ei meritò libentius secundum vicissitudinem obsequii, quàm illis, deferunt.

Prætexto egregius dupliciũ stipendiorum ex aula & Ecclesia.

Quid? quod regibus servire, & non Deo, nec Ecclesiæ didicerunt. Quid? quod non *intentione* alicujus officii in Ecclesia exercendi, sed *quietis aut inertiæ*, in rerum abundantia consectandæ, *mitram* quæsierunt. Quid? quod propter assueta dispendia, multa aperta in minimo, multa etiam aperta, *aulica importunitate* assequi sperant, quæ in suis Ecclesiis servientes non assequerentur.

Mitræ præsidiũ.

At saltem, inquies, suis illic *Ecclesiis*, ne graventur, aut opprimantur, *subveniunt*. Imò *suas* & *alienas* ipsi *opprimunt*, dum pro arbitrio sæcularium potestatum *tributa* super eas annuunt. Si enim ab optimatibus, quorum negotia agitant, consiliaque frequentant, Ecclesiis plus justo favere arguantur: Quoties de re ad Ecclesiam pertinente agi contigerit, gravius adversus illam quam aliquis secularium, insultant.

Facinus antiquũ.

Rara his caliginosis temporibus, contra ecclesiam oppressio, rara invasio, rara afflictio, quæ non à suis filiis originem trahat.

Mala Ecclesiæ ab Ecclesiasticis.

Caput XXVIII.

Quod utilior sit talium Prælatorum absentia à suis Ecclesiis quàm præsentia.

Sed quid eorum tanto tempore à suis sedibus *absentiam* accusamus? cum *per suam* si illic adessent *præsentiam* verisimilius *obesse*, quàm prodesse possent. Quidnam enim ore illi prosunt, qui toto elabente anno suam *bis aut ter intrant Ecclesiam*, qui totos in *aucupio & venatu*, in *ludis & palæstra* dies agunt, qui in *convivii* accuratissimis, in plausibus & *choreis*, cum puellis, & effœminati insomnes transigunt noctes, qui suo turpi exemplo gregem per devia quæque abductum in præcipitium trahunt, qui imberbes adhuc adolescentuli, vix tum ferulam egressi, ad pastorale convolant magisterium, & tantundem de illo, quantum de nautico sciunt officio? Difficile itaque satis est statuere, qui eorum magis incommodent suo gregi: Hi, qui deserto eo, lupisque exposito, cum scurris & parasitis in aula versantur: An hi potius, qui coram positi, eum per rapinam vexant, per incuriam negligunt, per errorem ductum præcipitant.

Episcoporum laudes ante Concil. Const.

Ab Ecclesia absentes Episcopi.

Præsentes.

Quam-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sales Clemangii in Episcopos sui temporis sparsi.

Quamvis enim jam *mercenarios* utrosque jure optimo appellaverim, pro re tamen nimis parum dixi. *Lupi* ambo accommodatius dicendi sunt. Utrique enim quod lupi est, agunt, vorant, dispergunt, lacerant, diripiunt. Hi quidem *per seipsos*, illi verò *pro seipsis* per alienos.

Sentio me diutius quam initio putaveram his *nostrorum angelorum* [ita enim sacræ literæ *præsules* appellant] *præclaris ministeriis* immoratum. Sed tantæ rerum multitudini, quam breviori compendio percurrere mihi commode non licuit, ignosci oportet. *Reliqua*, si per singula referrentur, sunt *multa*, sed ea paucis generatim expediam. *Appositè.*

Caput XXIX.
De Capitulis & Canonicis.

Longa encomia Canonicorum ante Concil. Const.

Quid enim de *Capitulis* & *Canonicis* longum me trahere sermonem necesse est, cum uno statim verbo dicere liceat, *similes Episcoporum* pro suo modo *Canonicos* esse, indoctos, Simoniacos, cupidos, ambitiosos, æmulos, obtrectatores, suæ vitæ negligentes, alienæ curiosos scrutatores ac reprehensores: Adhuc autem ebriosos, incontinentissimos, utpote qui passim & inverecunde prolem ex meritrice susceptam & scorta vice conjugum domi tenent: Vaniloquos, præterea garrulos, tempus in fabulis & nugis terentes, quia *nihil utile noverunt* aut serium in quo occupentur. Et propterea in re sua, seu per fas seu nefas agenda, in cura ventris & gulæ, in carnis voluptatibus hauriendis, suæ vitæ felicitatem, ut porci Epicurei, constituunt.

Caput XXX.
De pace & fraternitate Canonicorum.

Disidia.

Quam verò pacem inter se habeant, aut quam *fraternitatem*, declarant sectæ & seditiones, omnibus modo in Ecclesiis per *infernales furias* excitatæ, ut jam illa infernalis hydra schismatica in Ecclesiæ vertice iisdem ab *Eumenidibus* stabilita, nimia fœcunditate germinans, omnia fere collegia suo vipereo semine infecerit.

Cap. XXXI.
De causa exemptionum pro correptione vitanda.

Canonicorum derivatio.

Et hos ergo *Canonicos* aliquis vocabit, qui sic *ab omni canone*, hoc est, ab omni regula *abalienati* sunt, qui ut licenter & impune omnia, quæ ferret animus, flagitia, admittere possint, ab omni se castigatione & disciplina suorum prælatorum, *maxima* ubique *redemptione* exemerunt. Fraudant itaque se mutuo, fraudant subditos. Ut, sicut Paulus loquitur, *Jam inter dispensatores Ecclesiarum merito quæratur, ut fidelis quis inveniatur.* Quas omnes fraudes & rapinas cum fecerint, non est, qui eos puniat. *Ad papam* enim, quem solum judicem plérique eorum se habere jactant, *quis circumvento pauperi accessus est?*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

CAPUT XXXII.

De vita & moribus Monachorum professioni illorum repugnantibus.

DE *Monachis* autem & *Monasteriis* late patet ad loquendum materia, nisi jam me dudum tœderet in tot tantarumque abominationum enumeratione demorari. Ne tamen sicco, ut ajunt, pede intacti abeant, paululum aliquid dicere de his necesse est.

Quid autem *commendabile* de ipsis dicere possumus, qui quanto magis inter ceteros Ecclesiæ filios ex votis suæ religionis perfecti esse debebant, quanto magis abstracti à cura secularium, quibus abrenunciaverunt, in sola cœlestium contemplatione suspensi, & quanto magis continentes, magis obedientes, minus vagabundi, & à claustrorum septis rarius egredientes in publicum, tanto *ab his omnibus rebus* licet eos videre magis *alienos*, magis videlicet *tenaces*, magis *avaros*, magis seculari rei (versis retrorsum animis) immixtos, magis insuper lubricos, indisciplinatos, dissolutos, inquietos, magis per loca publica & inhonesta (si modò frena laxentur) discursantes. Ita ut nihil illis æque odiosum sit, quemadmodum cella & claustrum, lectio & oratio, regula & religio. Quocirca Monachi quidem sunt exteriori habitu, sed vita, sed operibus, sed internæ conscientiæ spurcitia, à perfectione, quam habitus ille demonstrat, longissimè disjuncti.

Egregia laus Monachorum ante Concil. Const.

Fallit autem illos nimium sua opinio. Nam quantò sua professione rejecta terrenis magis adipiscendis inhiant, tantò pauciora habent, tantoque dotes & reditus ipsorum magis semper in nihilum fluunt. Ecce, omnium cœnobiorum uberrimos olim fructus ita hodie attenuatos cernimus, ut unde centum homines vivere solebant, vix decem nunc egerrimè vivant. Videmus omnia labi, omniaque solo æquari, non suppetente copiâ, qua saltem antiqua ædificia à ruinæ defendantur injuria. Quod quidem meritò illis evenit.

Monasteria quare exhausta.

Quamdiu enim *justè, sobriè, castè, innocentur* vivendo secundum regulæ suæ instituta, regnum cœlorum & non hæc temporalia quærere studuerunt, tamdiu eis omnia illa satis superque fuerunt adjecta. *Primum*, inquit Salvator, *quærite regnum DEI, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Ubi vero à *vita innocentia*, & à quærendo regno Dei, per nepharia opera destiterunt, rectè ab eis illa subducta sunt, quæ veris justitiæ cultoribus regnique quæsitoribus fuerant promissa. *Regnum*, inquit historicus, *facile iisdem artibus retinetur, quibus initio partum est.* Verum *ubi pro labore desidia, pro continentia & æqualitate libido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus immutatur.* Et quod de *regno* dictum audis, de *opibus* & *honoribus* ceterisque fugacibus bonis dictum intellige.

Unde opes accrevere in Monasteriis.

Opes quare immiutæ in Monasteriis.

Regula conservandi boni.

CAPUT XXXIII.

De Mendicantibus & de eorum vana jactatione & gloria.

VEnio nunc ad *Mendicantes*, qui ex professione *arctissimæ paupertatis* veros se Christi discipulos verosque imitatores esse jactant atque *gloriantur*. Quippe qui considerantes (ut ipsi ajunt) illud Evangelicum: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & sequere me*: Et idem illud: *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: Omnium possessionum suarum rerumque temporalium spreta sollicitudine, onereque gravissimo: Qui *eruditi* præterea *in divinis literis*, quibus penè soli hodie insudant, pabulum verbi Dei, quo populi reficiantur, assidua prædi-

Monachorum mendicantium gloriola.

catione ministrant, viam eis salutis æternæ, quam nemo alius docet, aperiunt; Justorum digna præmia, impiorumque supplicia demonstrant: Sicq; animas ab interitu sempiterno per veram pœnitentiam revocatas, ad Deum converti faciunt. Denique soli ipsi (*ut asserunt*) ceterorum omnium Ecclesiæ ministrorum segniter dormitantium officia peragunt, ministeria exercent, eorum delicta, ignorantias & negligentias supplent.

CAP. XXXIV.

Quæstio de Perfectione Mendicantium.

SEd libet ab eis quærere: Si hunc *gradum suprema perfectionis* Christoq; propinquissimæ attigerunt, quid est, quòd suis eam verbis ita magnificant, quod *insolenter* adeò inde se *jactant*, quod *universis* propterea inani gloriatione *se præferunt*, imò quod alios omnes sui status comparatione ab omni perfectione evacuant?

Vana perfectionis jactantia in Monachis mendicantibus.

Decebat enim, ut alieno ore, & non proprio suo, illa ætherea & *angelica in terris perfectio* laudaretur, si modò solidam laudem, non vanam, suspectam, & odiosam cupiebant. Nonne est hæc perfectorum vera justitia, ut *nunquam arbitrentur se perfectos*: Imò verò quo justiores fuerint, eò magis in *humilitate* de se sentientes longius se à justitia abesse æstiment. Ne, dum de eo, quod habere se præsumunt, inaniter super se efferuntur, & id ipsum quod habebant (si quid tamen virtutis habebant) evanescat.

CAPUT XXXV.

Quod humilitas sit fundamentum perfectionis.

NOnne *humilis* publicanus, sua Deo peccata confessus, justificatus à templo redire meruit, & quam orabat veniam, impetrare? *Superbè* autem Pharisæus sua merita prædicans, & pauperculum illum despiciens, reprobus abscessit & inexauditus. Quoniam *Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam.* Videtur autem hæc parabola contra hos *quæstuarios verbi Dei adulatores* congruentissimè inducta. Quia sicut Synagoga suos Pharisæos habuit, adversus quos in Evangelio acerrimè Christus semper invehit, ita nimirum hi *novi & subintroducti Apostoli, Ecclesiæ Pharisæi* censendi sunt, quibus omnia à Christo de Pharisæis dicta, & fortè alia plurima, nescio an deteriora, conveniunt.

Quæstuarii verbi Dei adulatores.

Pharisæi Ecclesiæ.

De quorum *sacrilega impietate*, quia non multa breviandi studium dicere concedit, paucas Christi saltem sententias, per quas ab eorum *insidiosa versutia* nos cavere admonet, audiamus. Ait itaque de eis Salvator, ipsorum *fontem* patefaciens *nequitiæ*: *Attendite à fermento Pharisæorum*, quod est hypocrisis. Et rursum: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Annon *lupi rapaces* sunt, velamina ovium gestantes, qui omnia quæ hujus mundi sunt, *verbo* suo se deseruisse asseverant, *facto* autem ipsa temporalia incredibili ardore concupiscentiæ, infinitis insidiis, undique exquirunt?

Annon *lupi rapaces* sunt, oviculorum vellere amicti, qui vitæ austeritatem, castitatem, humilitatem, sanctam simplicitatem exteriori specie *simulant*, intus vero exquisitissimis deliciis, & variarum *copia voluptatum* ultra omnem mundanorum luxuriam exuberant?

Simulatio pietatis.

Annon *lupi rapaces* sunt, sub ovili imagine latitantes, qui more sacerdotum Belis in suis penetralibus oblata devorant, mero se ac lautis epulis *cum non suis uxoribus*, licet sæpè cum suis parvulis, avidè satiantes, cunctaque libidi-

Voluptuarii.

Dictis facta contraria.

libidinibus, quarum torrentur ardore, polluentes? Annon *lupi rapaces* sunt, foris ovem mentientes, qui ea, *quæ facienda dictant, non faciunt*, & cum aliis prædicaverint, sua prædicatione reprobi efficiuntur? Annon *lupi rapaces* sunt, ovium similitudinem falso prætendentes, qui, cum angeli lucis primo aspectu appareant, non Satanæ, tamen, ut Pauli verba sunt, non Christo Domino, sed *suo ventri serviunt*, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.

Sed audi adhuc quid de *illis* ad propositum *Salvator* loquitur. *Va vobis, ô Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quid mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapinâ & immunditia. Qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitiâ.* Quid de eis verius dici, quid aptius, quid lucidius potest, quam quod cœlesti ore dictum audis?

Sed & *Paulus* gentium doctor, prænoscens in spiritu *talium* circa extrema tempora *subversorum* ingressum, & Ecclesiam per eos multa tandem vulnera sensuram, ad Timotheum suum scribens, illos summo studio declinandos hortatur. Nam postquam dixerat: *hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi*, & multa quæ his addit ab *his seductoribus* non abhorrentia, Tandem quod eis proprium subtexuit: *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, & hos devita. Ex his enim sunt qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Rursus quoque idem Apostolus ad eundem suum discipulum loquens: *Spiritus*, inquit, *manifestè dicit, quod in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam.* Quæ nemo ambigere debet de his *novis Pharisæis* esse scripta. Multa quoque alia de istorum *Pseudoprophetarum* opertâ iniquitate, quâ domum Dei persodiunt & poluunt, sacra in pluribus locis scriptura commemorat.

Novi Pharisæi.

Satis eorum perfidiam, quantum ad nostram pertinet brevitatem, detegere videmur. De qua, si quem juvat ampliora agnoscere, *Cyrillum* videat, & illic mira de eis inveniet, ad fidelium instructionem, longè antequam orirentur, Spiritu Sancto revelante prædicta. Quanquam nec aliqui *alii scriptores* etiam defuerunt, qui de his *subdolis illusoribus* multa valde utilia & præclara post eorum introitum, ad Ecclesiæ præmonitionem & præmunitionem, prodiderunt.

CAP. XXXVI.

De impudica vita & conversatione Monialium.

REstant nunc solæ *Moniales*, ut nostram narrationem, quemadmodum polliciti sumus, *à summo capite usque ad extrema vestigia*, nullo prætermisso gradu, deducamus.

Monialium elogia.

De *his* autem plura dicere, etsi plura, quæ dici possent, suppetebant, *verecundia prohibet*: Ne non de cœtu virginum Deo dicatarum, sed magis de *lupanaribus*, de *dolis* & *procacia meretricum*, de stupris & incestuosis operibus, pudendum sermonem prolixè trahamus.

Monialium claustra Veneris olim prostibula.

Nam quid, obsecro, aliud sunt hoc tempore *puellarum monasteria*, nisi quædam, non dico Dei sanctuaria, sed *Veneris* execranda *prostibula*, sed lascivorum & *impudicorum juvenum* ad libidines explendas *receptacula*. Ut idem hodie sit puellam velare, quod ad publicè scortandum exponere.

Hæc sunt quæ de *nostro Franciæ Clero* referenda visa sunt. Quamvis multa sciens præterii, & silentio suppressi, quæ si per singula amplecti vellem, in immensum res progrederetur, nec modum habitura esset oratio. Quæ cum ita sint, nemini debet mirum videri, si Ecclesia ex talibus aggregata, multis molestiarum aculeis, multisque adversis turbinibus quatitur. Mirum potius & stupendum videri deberet, si tot vitiis atque impuritatibus serviens, à flagellis immunis ageret.

CAP. XXXVII.

Comparatio morum modernorum cum moribus priscorum patrum.

Disciplina prima Ecclesiæ.

NUnc & confer hanc vitam, hos mores, hæc regimina, cum *primæva patrum disciplina*, cum majorum caritate, continentia, sobrietate, discreta severitate: Videbis, nisi talpâ cæcior es, tantam inter ea distantiam, quantum inter lutum & aurum.

Corruptio recentiorum temporum.

Jam siquidem *hic diebus nostris*, in quos fines sæculorum devenerunt, ab aureo capite illius prægrandis statuæ, quam vidit in figura Nabuchodonosor, *paulatim semper in deteriora* per argentum, æs & ferrum, prolabendo, ad partem pedum luteam ac fictilem pervenimus.

CAP. XXXVIII.

Conversio autoris ad Deum.

ITane Deus optime, vineam tuam electissimam, quam tua olim dextera ipse plantasti, cui sepem & robustam maceriam ad ferarum malignarum coercendam incursionem circumdedisti, itane, inquam, destructâ sepe, dirupta maceriâ, desertam ac degenerem effectam? Itane vepribus & spinis completam? Itane pro uvis dulcibus, quas ex ea præstolabaris, labruscis sterilibus onustam, ut vix per eam transiens eandem esse recognoscas, quam tanto olim studio, tanta cura & cultu nobilitaveras? Ecce jam universæ feræ eam diripiunt, omnia agri pecora conculcant. Hinc aper de sylva exterminat, inde fera singularis universa impetu vastans ac perstringens, egregia quæque depascitur.

Ingens morum depravatio in Ecclesia.

Averte, obsecramus, Domine, iram tuam & virgam furoris tui à vinea tua, & de cœlo sancto tuo miserentibus oculis super eam respice. Et si non propter nos qui indigni sumus, saltem propter nomen tuum ineffabili clementia gloriosum. Scimus, nostris impietatibus hæc & majora deberi supplicia. Scimus, peccata nostra super arenam multa, super omnem acerbitatem gravitatemque gravissima. Sed etiam scimus è regione, tuam immensam misericordiam omnia hominum peccata, non modo quo perpetrata sunt seu quo possunt in mentem cadere, summa incertitudine, supergredi. Scimus, tuam benignissimam pietatem, nunquam ignoscendo defessam, tuum semper antevenire judicium, imo super tua opera universa præstare. Scimus, te parentem esse, nos, quantumlibet degeneres, attamen filios. Pro magno autem peccato filii, satis est patri parum supplicii.

Publica confessio.

Sed scio quid obsistat, quo minus nostri miserearis & ignoscas, id ipsum volens & appetens: Quia nequaquam resipiscimus ab erratis: Quia ad te ingemiscentes reverti nolumus. Quod utique per servos tuos Prophetas, tuæ in nos vindictæ prænuncios, tanta cum diligentia nos admonens, legem hanc nobis, quorum misereri debes, per eos insinuaris. Sed nos, qui ad tua mandata durâ sumus cervice, & indomabili corde, te ad veniam vocantem non audi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

audimus, te excitantem contemnimus, te svadentem aspernamur, te promtum atque voluntarium ad præterita omnia (si modo præteritorum pœniteret) condonanda per nova & pejora facinora quotidie provocamus. Proinde ad voces nostras obsurdescis, tuamque manum adhuc extentam à nostra percussione non revocas, sed novis potius contumaciis nova indesinenter flagella cumulas.

Cap. XXXIX.

Excusatio autoris super generali desolatione Ecclesiæ occasione Ecclesiasticorum.

NOlo autem, ut quis existimet, per ea, quæ Ecclesiasticorum virorum præmissa sunt, me *omnes prorsus Ecclesiasticos* nullo excepto comprehendere velle. Scio illum non mentitum esse, nec mentiri posse qui dixit: *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Nec sum nescius, in singulis quibusque statibus *aliquos*, & forte plurimos, bonos, justos, innocentes esse, ab illisque maleficiis, quæ supra memorata sunt, separatos. Sed tanta est *improborum* in singulis professionibus *exuberantia*, ut vix *inter mille unus* reperiatur, qui id, quod sua professio exigit, *sinceriter* faciat.

Pauci boni.

Quin etiam, si simplex aliquis, si castus, frugalis, in Collegio aliquo vel Conventu latam & lubricam perditorum viam non sectetur, *fabula* & ridiculum ceteris efficitur, *insolensque* & *singularis*, *insanus*, aut *hypocrita*, continuò appellatur. Unde & multi, qui ad bonam frugem devenirent, si cum modestis & bonis degerent, hac ratione obstricti per malorum consortia ad malum trahuntur, dum talia inter suos contubernales nomina subire verentur. Inde est illud Psalmi utique verissimum; *cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.*

Boni redentur.

Caput XL.

Quare de bonis viris Autor sileat.

Rari sinceri jam olim.

QUamobrem nemo admiretur, si *rari* hoc tempore *sinceritate aut innocentia fulti in Ecclesia* sint, tot sceleratis in omni loco ad mala impellentibus, & per mille insidias sollicitantibus. Itaque propter multitudinem nequitiæ, ita prævalentem, de *bonis* siletur, qui aliis compositi parvo nimis in numero atque momento sunt.

Et dum sermo de *politia Ecclesiæ*, aut de membris ejus incidit, tanta turba prævaricatorum *totam* Ecclesiam in crimen adducit, eo loquendi more, quo plerisque in locis scriptura utitur. In Genesi namque legitur: *Omnis caro corruperat viam suam:* Et tamen eo tempore, quo propter peccata hominum cataclysmus erupit, Noe vir justus coram Domino repertus est, & propterea cum suis in arca salvatus. Rursus in libro Psalmorum scriptum est: *Omnis homo mendax, omnes declinaverunt, non est qui faciat bonum:* Et tamen idem ipse, qui hæc dixit, Domini de se testimonium habet: *Quod invenisset eum DOMINUS virum secundum cor suum.*

Caput XLI.

Quod status Ecclesiasticus merito patiatur.

IGitur cum ad hunc modum *Magistratus Ecclesiarum* cetera officia se habeant, quis dubitet, nisi Dei animadversione, mala eis, quæ patiuntur, ac-

cidere? Res mira, ut supra diximus, & insolita videri deberet, si quid eis prosperum accideret. Nonne per totam divinorum voluminum seriem *bona* nobis hoc pacto à Deo *promittuntur, si legem* ipsius *servemus*, mandata *teneamus*, in præceptis ambulemus, fœdus nobiscum ab eo initum non irritum faciamus? Quod si nefariis operibus testamentum ejus prophanemus, pactum & legem irritemus, jussa, traditiones postponamus: Qua fronte bona ab eo petere aut sperare præsumemus? Necesse est sortem alterutram subeamus: *Aut* prosperorum præmia, si mandatis obedierimus, *aut* pollicita supplicia, si transgressores sumus. Quia nunquam mentiri novit, qui pro operum qualitate, utraque tribuenda spopondit.

Bona promissa sunt conditionata.

Quid *synagogam*, quæ typus Ecclesiæ fuit, secundum quod Paulus dicit, *omnia illis in figura contigisse*, quid eam, inquam, prostravit, deserique à Deo & tot cladibus opprimi, nisi ejusdem *malitia*, fecit? Si igitur, juxta parabolam *Ezechielis* de duabus sororibus, Oliba, soror junior, Oollæ sorori majori similia gessit, imo eam flagitiis & fornicationibus amplius insaniendo superavit, quomodo sibi credet impunè cedere?

Comparatio Ecclesiæ & Synagogæ Judaica.

Expergiscere tandem aliquando ex longiori tuo somno, ô infelix soror synagogæ. Expergiscere, inquam, aliquando, & tuæ *ebriatati*, diu satis (ut ita dicam) edomitæ, modum impone, Prophetamque istum & ceteros vide, lege, intellige, si tamen non usquequaque tua ebrietas prophetæ testimonio cor absorbuit. Si ergo ulla in te sani cordis scintilla superest, Prophetarum dicta sedulo revolve, tuumque illic statum & tuam *confusionem*, non utique dormitantem, sed è vicino impendentem, considera: Videbis quis te *exitus* expectet, quamque malè & periculosè in his sordibus tamdiu jaceas. Quod si Prophetas non audis, nec de te dum tot mala nunciant locutos arbitraris, ipsam te fallis, & periculoso nimium errore deciperis. De te enim illi locuti sunt, & quæ minantur onera, super te, nisi desipis, relapsura debes agnoscere.

Seria admonitio ad emendationem Ecclesiæ.

Sed fac eorum vaticinia aliò spectare, quid de tua prophetia, de *Joannis* scilicet Apocalypsi censes? An non illam saltem ad te aliqua ex parte pertinere putas? Non pudorem ita cum sensu perdidisti, ut hæc neges. Illam ergo intuere, & lege *damnationem magnæ meretricis*, super aquas multas sedentis, illicque tua facta præclara contemplare, & tuos futuros casus.

Cap. XLII.

Quod Ecclesiasticus status propter superbiam tendat ad ruinam.

POrrò cum omnia Imperia & Regna gentium, quantumcumque potentia, magna vel ditia, ob suas injustitias & superbias deleta audias, eversa videas atque pessundata; tu, quæ solidam *humilitatem*, super quam fundata eras, nullos impetus turbinum metuentem, tam longe abjecisti, tuumque cornu tam in altum extulisti: Quomodo exciso atque avulso tuo humili fundamento, tantam *superbia* molem, quam desuper extendisti, non ruituram putabis? Cœpit jam dudum tua *superbia*, nequaquam se ferens, ruere, sed lentè quidem & pedetentim. Et propterea à plurimis ruina illa non est percepta. Nunc verò in modum torrentis tota in præceps ageris.

Ruina Ecclesiæ ex Ecclesiasticorum superbia.

Et ex illo præsertim tempore, quo *abominandum hoc schisma* te invasit. Quod profectò ad comprimendas tuas nequitias intolerabiles, & insanias falsas, *divina* super te *iracundia* venire permisit. Quo vel sic regnum tuum, Deo grave, gentibus odiosum, juxta Evangelicam veritatem in seipso divisum, desolaretur, fractumq; & dissipatum concideret.

Schisma Ecclesiasticorum ante Concil. Const.

Non

Non quidem quod *fides* Ecclesiæ, in hoc mundano conflictu militantis, prorsus periclitari debeat, quæ fundata supra firmam petram stabilis & inconcussa mansura est: Sed loquor de temporali potentatu, de *gloria & deliciis*, quibus usque ad nauseam & oblivionem sui ipsa Ecclesia inebriata est. De quibus in condemnatione meretricis vindicibus Angelis præcipitur: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum.*

Disidia Ecclesiæ

Nam ut ea, quæ longinqua sunt, de *Græcorum* à nobis *disidio*, propter *nostrorum superbiam & avaritiam* orto, de contractis limitibus Catholicæ religionis per totam pene orbis terrarum vastitatem olim porrecto: Ut hæc, inquam, & alia nonnulla *vulnera*, pridem *Ecclesiæ* infligi cœpta, non repetam: Nonne saltem *ruina* illa, qua *urbem Romam*, sedem ac caput Ecclesiæ, sic ruere & collabi videmus, *Ecclesiæ* ipsius & totius ejus imperii *desolationem* propinquare nunciat? Sicut destructionem Hierusalem secuta de proximo est Judæorum & Synagogæ dispersio. Quomodo enim diu stabit aut vigebit, quæ, sua destructa statione & capite perdito, vaga & instabilis per orbem discurrit, & quasi jam peregrina aut hospes in mundo de uno loco ad alium migrare cogitur.

Urbis Romanæ ruina ante Concil. Const.

Ex illo plane *suam cladem* imminere prænosse debuit, ex quo, *propter suas fornicationis odibiles*, Romuli urbe relicta, *Avinionem* confugit. Ubi quanto liberius, tanto apertius & impudentius vias suæ *Simoniæ* & prostitutiones exposuit, *peregrinosque & perversos mores*, calamitatum inductores, in nostram *Galliam* invexit, rectisque usque ad illa tempora moribus frugalibus, disciplina instante, nunc verò luxu prodigioso usque adeo solutam, ut merito ambigere possis, utrum res ipsa audita mirabilior sit, an visa miserabilior.

Sedis Romanæ Avinionem translatæ fortuna.

Gallia infelicitas ante Concil. Const.

Verum, forsan alias de *Gallia*, nunc de *Ecclesia* loquamur, quæ maligno nescio quo fato loca, quibus insederit, suo fermento inficere consvevit, casus pernitiei ac ruinæ illis esse. Quanquam non gratis, aut absque ultione. Vicem enim ei debitam *Italia* reddidit, quæ nudam & suo patrimonio paulo minus *spoliatam suis sedibus ejecit.* Mala vero, ipsa *Gallia*, inops per eam facta, reddere incipit. Ut impleatur illud Prophetæ præsagium: *Confunderis ab Ægypto, sicut confusa es ab Assur.* Et illud: *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.*

Romanæ Ecclesiæ fata ante Concil. Const.

Postquam enim, importabili *sarcina peccatorum* exigente, *furiale malum schismatis* irrepsit in Ecclesiam: Ut omittam, quæ per *alterum*, tunc apud alios de Papatu contendentem, gesta sunt, potiùs hæc scribenda illis relinquam, qui cum eo conversati certiùs mores ejus, atque suorum enarrare possunt: Quid *Clemente* nostro, dum advixit, miserabilius? Qui ita *se servum servorum Gallicis principibus* addiceret, ut vix minas & contumelias, quæ illi quotidiè ab aulicis inferebantur, deceret in vilissimum mancipium dici. Cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati, fingebat, dissimulabat, largiter promittebat, diem ex die ducebat, his beneficia dabat, illis verba: Omnibus, quos aut ars assentatoria aut ludicra in curiis acceptos fecerat, summoperè placere studebat, eosque beneficiis promereri, quo talium patrocinio, dominorum gratiam & favorem assequeretur.

Urbanus VI.

Clement VII.

Spontanea Clementis servitus in Gallia.

His itaque, & juvenibus nitidis & elegantibus, quorum maximè consortio gaudebat, singulos ferè *vacantes Episcopatus* ceterasq; præcipuas dignitates impendebat. Denique, ut *Principum* benevolentiam facilius assequeretur, assecutam foveret, fotamque conservaret, conservatam amplificaret, plurima ultrò *donaria* atque *xenia* illis dabat: Quascunque *super clero exactiones* petere voluissent, annuebat, ultrò sæpiùs etiam ingerebat. Sic omnem clerum, *secularium magistratuum* dispositioni ita subjiciebat, ut *Papa* magis *quilibet eorum*, quàm ipse putaretur. In hac tristissima *servitute*, non dico *præsidentia*, tria, & supra, temporum lustra, cum incredibili Ecclesiæ attritione consumpserunt.

Largitiones Clementis Papæ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CAPUT XLIII.

Quod Ecclesia prius humilianda sit, quàm erigenda.

Adversitates Ecclesiæ, justæ.

QUia enim Ecclesia seipsam *humiliare*, vel tot flagellis attrita, contempsit, rectè ab illo, qui plus æquo exaltata humiliat, elisaque & humiliata erigit, priùs humilianda erat, ut in gratiam, à quâ exciderat, rediret, postea consulenda, erigenda atque sublevanda: Priùs desolanda priùs percutienda, postea sananda.

Emendatio Ecclesiæ à Deo expectanda.

Nam quod ad *redintegrandam* ipsam *Ecclesiam*, funesto *hoc schismate dilacerata*, attinet, frustra aliquid *per nos* effici speramus. Non hoc humanis operibus, non ulla arte magistra agendum est. Altiorem planè manum res ista deposcit. Et necesse est, si unquam uniri debeat, idem ipse medicus sit, qui vulnus intulit: Quia & tàm acerbum tamque immedicabile vulnus est, ut nulla opera altera curari valeat.

Laboris pro reformatione irriti.

Multa super hac re tractata sunt, multa agitata, multa conscripta, multa consulta, multæ legationes susceptæ. Verùm quò plura miscuimus, & moliti sumus, eò res assiduè multiplicatior atque turbatior evasit, Deo labores nostros irridente, imò jugiter irritante, qui *nostrâ* sine ejus adjumento *solertiâ* illud ipsius opus explere credidimus. Adde, quod indigni sumus, & pacem ab eo impetrare, & pacem habere. Quia *non est pax impiis, dicit Dominus Deus.* Qui rursum per Prophetam ait: *Erit opus justitiæ pax.* Denique nato in carne Domino Angelorum exercitus *pacem* suo prædulci carmine in terra denuncians, solis eam *hominibus bonæ voluntatis* futuram nunciavit.

Disfidia Ecclesiæ ante Concil. Const. ex justo Dei judicio orta.

Quod autem à Domino hæc *pestis schismatica* processerit, ex quibusdam in *Zacharia* scriptis licet apertè colligere. Legimus siquidem in illo Propheta, qui multa de futuris temporibus, & novissimis Ecclesiæ tribulationibus, sub prophetico velamine prætexuit, quod *Deus*, summus pastor, omniumque aliorum caput & regula, *duabus virgis* pascat gregem suum, quæ sunt *decus & funiculus.* Quia *decoris moribus & fraterna caritate* præditi esse debent, qui volunt in Ecclesia populis præesse. Nam, quæ est vinculum perfectionis; *funiculus* triplex est, qui difficilè rumpitur, quia *in Deum & proximum* & *seipsum* tendit. Verum si anima pastoris, divinis minimè jussis obtemperans, sua, & non quæ Dei sunt quæsierit, & turpi in Deum operatione variaverit, contrahitur anima ejus super eos, præcidensque virgas suas ab eis subtrahit, *pro decore* ignominiam & *dedecus*, pro nectente autem funiculo, schismata, contentiones, & virulenta dimittens dissidia. Et hoc pacto irritum facit fœdus suum, cum Pastoribus pariter & ovibus percussum, germanitatemque inter eos dissociat. Quia plerumque *pro culpa superiorum* ipsi etiam *subditi puniuntur.* Sicut propter reatum David in populi numeratione, populus plaga pestilentiæ pessima percussus legitur.

Morum decor.

Caritatis vinculum.

Decoris exilium.

Constat autem, primam virgam, quæ *decus* vocatur, propter *vitia pastorum* jam ante annos multos ab Ecclesia præcisam ac sublatam, eo videlicet tempore, quo *probrosos illos mores*, de quibus antea memini, induerunt. Ex illo siquidem fluere, infirmari, languescere, *retro sublapsa referri* cœpit Ecclesia. Quippè quæ vernanti exuta decore, pallidam & obscuratam, in terramque dejectam faciem gerebat. Postquam vero ejusmodi languor, nulla fomenti opitulatione medicatus, sed diuturna incuriâ neglectus, adeò per moram temporis invaluit, adeoque membra universa pererrando totum corpus occupavit, sicque obsessum tenuit, ut jam vix ultra sibi invicem membra ipsa cohærere possent: Et verum esset illud Propheticum; *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas:* Sublata est virga secunda, *funiculus*, qui invicem membra ejus colligabat. Nunc *rupto pacis vinculo* nefandum *schisma* horrendumque prorsus dissociat.

Pacis fuga.

CAPUT

CAPUT XLIV.

Quod schisma fuerit initium desolationis Ecclesiæ.

PUtant quippe nonnulli, qui multa de hoc *schismate*, & futura Ecclesiæ per ipsum desolatione, divino ut creditur instinctu, jamdudum prælocuti sunt, teterrimam *Ecclesiæ* totius ex eo conculcationem, incredibilemque vastitatem, per *terreni* violentiam *imperii*, *cujus multa sibi jura occupavit*, orituram: Quo terrenis tandem exuta copiis, quæ *aliena* glutierat, malè trita evomat, *filiosque fornicationum*, quos tamen Principum importunitate, tam improbissimo mercatu, plurimos genuit, morte, fuga, exilio, fame & captivitate oppressos lugeat. Quæ fortassis persecutio maturius quam plerique putant, cervicibus eorum incubitura est. Magna enim ejus fundamenta, nisi valdè obcœcati sumus, jam jacta videmus, quæ quotidie magis ac magis à terra surgere, & in apertam jam lucem erumpere, nemo est, si modo sensum habet, qui non valeat advertere.

Ecclesia jura imperii invasit.

CAPUT XLV.

Quod propter abominationem tantam malis Ecclesia obruenda sit.

ET profecto *justissimo Dei judicio* tanta malorum inundatione obruenda & conquassanda est, quæ in tantam omnium *abominationum insaniam* excrevit, ut nulla alia via castigari, aut ad priorem innocentiam redigi posse videatur. Præcesserunt infinita signa, admonitiones, comminationes, increpationes, clades, verbera, flagella, quæ ipsam ad sanam mentem, ne instantia talia pateretur, revocarent. Sed nihil est omnibus hic actum, imo in cassum omnia consumpta. *Frustra* (inquit Propheta) *conflavit conflator: Malitiæ eorum non sunt consumptæ.* Fronte enim contra Deum observata, omnia contempserunt, & velut equus effrenis post suas concupiscentias rapidiori semper impetu concurrerunt.

Auguria malorum.

CAPUT XLVI.

Si Ecclesia florere & fructificare habeat quod necessaria sit in omni statu Ecclesiæ morum reformatio.

QUis igitur tibi, ô CHRISTE, *modus* restat, si tuam Ecclesiam à tanta *sorde* scoriæ, in quam argentum ejus & aurum versa sunt, emundare disponis, nisi ut totam scoriam ipsam, nulla conflatili arte aut purgatorio igne in aurum atque argentum reparandam, ab Ecclesiæ fornace projicias, & puro illic nitore rutilantia metalla iterum inducas. Et si tuam præterea vineam, labruscis sentuosisque virgultis palmites suffocantibus obseptam, in fructiferam vis naturam reducere, quis dexterior modus id agendi, quam inutiles stirpes, eam sterilem efficientes, quæ falcibus amputatæ repullulant, & à radicibus evellere, vineamque ipsam aliis agricolis locatam, novis rursum ac feracibus palmitibus inserere. *Neque* enim, te ipso teste, *aut de spinis possunt uvæ colligi, aut de tribulis ficus. Sed & arborem, nullum fructum ferentem, excidendam, ipse sanxisti, & igne cremandam.*

Magna olim opus Ecclesiæ reformatione.

Fallitur igitur, quisquis labores & dolores Ecclesiæ hujus malis, quæ jam patimur, finiri existimat. Hæc non nisi exigua sunt *dolorum initia*, & suavia quæ-

quædam eorum, quæ superstant, *præludia*.

Sed tempus erat, ut portum, ingruente jam tempestate, peteremus, nostræque in his periculis saluti consuleremus, ne tanta procellarum vis, quæ laceram Petri naviculam validiori turbinis impulsu, quam ullo alias tempore, concussura est, in mediis nos fluctibus cum his, qui merito *naufragio periturí* sunt, absorbeat.

CONCLUSIO OPERIS,

nempe

DEVOTA ORATIO

CLEMANGII

Pro salutari *fructu reformationis* consequendæ.

UNum in fine opusculi, quod jam longius tenditur, te, benignissime Iesu, supplices exoramus, ut quæcunq; tua *super Ecclesiam futura* sunt *judicia* (magna enim absque dubio futura sunt) non ea in severitate ultionis secundum ejus peccata exerceas, neque secundum ipsius iniquitates immensam iram mercedes ei retribuas, sed juxta inenarrabilem tuæ clementiæ lenitatem, & in pœnarum exactione, quam non meretur pietatem largiri digneris. Sicque ea quæ noxia sunt, aut supervacua, rescinde, ne pauca, quæ non usquequaque inutilia sunt, cum his etiam pariter exscindas. Ita igitur preme, ne prorsus opprimas: Ita attere, ne prorsus obteras: Ita castiga, ne prorsus extingvas. Sed saltem, ne Sodomæ & Gomorræ similis sit, semen ei aliquod relinque, memor tui sacratissimi verbi, quo te cum illa futurum promisisti omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

Bene-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Benevolo Lectori

S. D.

HERMANNUS von der Hardt.

EX superioribus opusculis *apertum Clemangii pectus* & ingentem pro Ecclesiæ incolumitate sollicitudinem abunde cognoscimus.

Patet autem, quàm urgentia *Concilii Constantiensis* fuerint *principia* atque calcaria. Quam *corrupta* Ecclesiæ *capita*, cum membris, ut *totum corpus ægrum* decumberet, non nisi penetranti *emendationis spiritu* servandum. Addi alia potuissent Clemangiana illis haud dissimilia: Verùm superiora abunde sufficere putavimus.

Clemangiana verò hæc cum *Vrianis* tam suaviter conspirant, ut fundum omnis in Ecclesia tunc grassantis mali, *Ecclesiasticorum corruptionem*, uno quasi digitô demonstrarint. Sic una utrique frons, infucata, candida atque serena, qui simulandi artis expertes, malorum fontes animose detegerent, intimeque inspicerent.

Os idem utrique, apertum, qui ingenue quid in Ecclesia desiderarent, profiterentur. Una ambobus manus, qui medelam sacram, in Constantiensi Concilio admovendam, Sigismundo Imperatori, aliisq; Regibus atque Principibus intrepide offerrent.

De cetero, uti ingenio non cesserit Theodericus Vrie Nicolao Clemangio, ita elegantiæ laudem Nicolao lubens concedit Theodericus. Clemangius interim Vrianos nævos suis coloribus facilè dispunxerit. Quod est animis amice conspirantium jus, ut sua quisque peculiaria dona in communem vertat usum, & suos mutuo dissimulent defectus.

Neque horum vinculum solvit dispar in Pontifices illo tempore dissidentes affectus. Quandoquidem Vrie cum Germanis Gregorii XII partes tenacius sectatus, Clemangius cum Gallis Benedicto XIII. addictior. Quæ animi morio non in nostra sæpe est potestate, sed ab occulto interdum pendet principio. Beneficia sane sic occupare mentem affectumque queunt, ut indelebile amoris sigillum pectori calamoque occulte impressum relinquant.

Arduum hoc
Opus
De Ruina Ecclesiæ
conscriptum
a
NICOLAO de CLEMANGIIS
Theologo & Oratore Gallo
circa Ann. M. CCCC.
IMPERATORE WENCESLAO.
Descriptum
tempore Concilii Constantiensis
CÆSARE SIGISMUNDO.
Denuo aliquoties descriptum
Eodem seculo XV.
Impressum
Ann. M. D. XIX.
CAROLO V. CÆSARE.
Redintegratum ex MSCtis
Helmstadii in Academia Julia Ann. M. DC XCVI.
Mense Junio
Imperante
CÆSARE LEOPOLDO
ANTIQVÆ GERMANORUM
VIRTUTIS VINDICE
POTENTISSIMO.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf